EOS

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM

L 44

EDITORES

VICTOR STEFFEN LADISLAUS STRZELECKI

Volumen XLIV 1950

Fasciculus 1.

WRATISLAVIAE 1951

CONSILIUM EDITORUM:

VITOLDUS KLINGER, POSNANIAE — CASIMIRUS FELIX KUMANIECKI, VARSOVIAE — GEORGIUS MANTEUFFEL, VARSOVIAE — THADDAEUS SINKO, CRACOVIAE

COMMENTARII EDUNTUR ADMINISTRANTUR:

WROCŁAW, ul. SZEWSKA 49
UNIWERSYTET, INSTYTUT FILOLOGII KLASYCZNEJ

EOS

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM

EDITORES

VICTOR STEFFEN LADISLAUS STRZELECKI

Volumen XLIV 1950

Fasciculus 1.

WRATISLAVIAE 1951

CONSILIUM EDITORUM:

VITOLDUS KLINGER, POSNANIAE — CASIMIRUS FELIX KUMANIECKI, VARSOVIAE — GEORGIUS MANTEUFFEL, VARSOVIAE — THADDAEUS SINKO, CRACOVIAE

COMMENTARII EDUNTUR ADMINISTRANTUR:

WROCŁAW, ul. SZEWSKA 49
UNIWERSYTET, INSTYTUT FILOLOGII KLASYCZNEJ




Oz. 2810/44,1
1950

1090c 1952

Nakład 600 egz. Str. 155. Papier sat. 70 g 70×100. Styczeń 1951.

ZAM. 480. — DRUKARNIA UNIWERSYTETU i POLITECHNIKI WE WROCŁAWIU — F-1-11187



Witold Klinger

VITOLDO KLINGER

UNIVERSITATIS POSNANIENSIS
PROFESSORI ORDINARIO
ACADEMIAE LITTERARUM POLONAE
SOCIETATIS LITTERARUM
POSNANIENSIS ET VARSOVIENSIS
SOCIO ORDINARIO
SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM
SODALI HONORIS CAUSA
VIRO FORTI STRENUOQUE

QUINDECIM LUSTRA NUNC QUIDEM CLAUDENTI

QUI ANTIQUITATIS NOTITIAM INTRA POLONIAE FINES PERMULTIS AUXIT LIBRIS COMMENTATIONIBUSQUE CUM AD LATINAS TUM PRAECIPUE AD GRAECAS LITTERAS PERTINENTIBUS

QUI INDEFESSO STUDIO ANTIQUORUM RITUS INDAGAVIT EXPLICAVITQUE AC VICES EORUM VARIABILES APUD POSTEROS MIRUM QUANTUM INNOTESCENTES ET REVIRESCENTES SAGACISSIMO ANIMO DETEXIT

QUI LITTERAS POLONIAE MULTIS CARMINUM GRAECORUM VERSIONIBUS DITAVIT

SOCIETAS PHILOLOGA POLONORUM
HOC VOLUMEN SACRUM ESSE VOLUIT

DE GRAECIS BRAHMANUM AESTIMATORIBUS

Scripsit

IOSEPHUS DZIECH

India caturvarnya[1] nuncupata secundum discriminandi rationes Brahmanicas cum ipsa reapse aliquatenus differre videatur ab India illa a Graecis adeo septemfariam[2] discripta, haud sciam an in ista rerum discrepantia ac repugnantia clarissimus ille quasi exceptus legentibus arrideat concentus praeferendis Brahmanum primoribus insignis, quippe qui a Graecis aeque atque ab Indorum auctoribus consono quidem ore plerumque concelebrentur. Qui consensus profecto latius pateret, si modo contigisset Graecis non tantum declinare sermunculos internuntiorum, verum etiam faustius rimari praefractam illam disciplinam intra Sanscritica monumenta numero carentia delitescentem. Quae cum vix cognita Graecis esse videantur nimirum deficiente mirifico linguae Sanscriticae instrumento, quo quidem funditus excutiantur interiora Brahmanum deverticula, forsitan iam tantulum impraesentiarum procedat consilium, si primum omnium inquiratur, quando tandem censeri a Graecis coepti sint Brahmanes, dein qualibusnam potissimum notionibus adumbrati, postremo quibusnam illic potissimum locis salvae ceteroquin Graecorum scriptiones videlicet aliunde manantes a sinceris fontibus Brahmanicis differre videantur.

Brahmanum theologorum ac sacricolarum iam aetate Vedica[3] officiis atque honoribus fungentium mentionem omnino nullam esse factam a Graecis liquido apparebit, dum singula documenta percenseantur, ubi India describatur. Quid? quod ne disciplina quidem Vedica, quae iam inde antiquitus fuerat Brahmanum sapientiae princeps institutio, umquam a Graecis elata defertur ad posteros, nisi forte coniciendum sit illud fundamentum Vedicum quasi delitescere intra Brahmanum cognomina peculiaria penes

[1] Utpote quadrifariam in castas discriminata secundum naturalem incolarum colorem. Cf. *Caste* (*Papers of Indian Reform*), Madras 1890, p. 1.

[2] Arriani *Ind.* 11, 1: Νενέμηνται δὲ οἱ πάντες Ἰνδοὶ ἐς ἑπτὰ μάλιστα γένεα. Cf. insuper Strab. *Geogr.* 15, 1, 39; Diod. *Bibl.* 2, 40, 1.

[3] Aetatem Vedicam ultra citraque annum 1000 a. Chr. n. esse computandam censet A. Gawroński, *Podręcznik sanskrytu*, Kraków 1932, p. 1.

Graecos gliscentia, unde Brahmanes plerumque sapientes[4] appellitentur. Ita Arrianus Brahmanum sapientiam alias adumbraturus[5] na semel quidem illic[6] nomine proprio Brahmanas nuncupavit passim praelatis cognominibus ab ipsorum sapientia oriundis. Itaque casta Brahmanica utique princeps memoranda inter illas quattuor[7] Indorum castas (= brāhmaṇa[8] — kṣatriya[9] — vāiśya[10] śūdra[11]) salvo ceteroquin tanto principatu[12] ne semel quidem nomine proprio Brahmanico discripta traditur ab Arriano discribendis Indis secundum Megasthenem quamvis intento[13], cum apud Indos nomen illud brāhmaṇa aeque atque dvija[14] intra tres castas primores (= brāhmaṇa — kṣatriya — vāiśya) solito tritius recurrat. Namque cum maxime Mahābhārata praetulerat Brahmanas armatissimos mirifico sensu videndi Vedis oriundo (= vēdāiḥ paśyanti vāi dvijā[15] = brāhmaṇa) eosdemque Vedis iunctiores

[4] Cum maxime recurrunt:

1. γυμνοσοφισταί — γυμνοί. velut apud Hesychium, ubi Βραχμᾶνες = οἱ παρ' Ἰνδοῖς γυμνοσοφισταὶ καλούμενοι.
2. σοφισταί: cf. e. g. Arriani *Ind.* 11: *Anab.* 6, 16, 5; Strab. *Geogr.* 15, 1, 61.
3. φιλόσοφοι — σοφοί: cf. e. g. Strab. *Geogr.* 15, 1, 39, 58, 59, 70; Diod. *Bibl.* 2, 40, 1, 3.

[5] Arriani *Anab.* 6, 16, 5: ...Βραχμάνων, οἳ δὴ σοφισταὶ τοῖς Ἰνδοῖς εἰσιν... Ὑπὲρ ὧν ἐγὼ τῆς σοφίας... ἐν τῇ Ἰνδικῇ ξυγγραφῇ δηλώσω.

[6] = ἐν τῇ Ἰνδικῇ ξυγγραφῇ, ubi ne semel quidem Βραχμᾶνες occurrunt, verum passim σοφισταί. velut: ...οἱ σοφισταί εἰσι... ἐπεῖναι τοῖς σοφιστῇσιν... Οὗτοι γυμνοὶ διαιτῶνται οἱ σοφισταί... = Arriani *Ind.* 11.

[7] = Manu 10, 4, ubi quattuor castarum species distinctius ordinantur.

[8] = „theologus", „sacerdos": cf. Gawroński, l. l. p. 190.

[9] = πολεμισταί quinto demum loco discripti a Graecis. Cf. Arriani *Ind.* 12, 2.

[10] = γεωργοί secundo loco a Graecis numerati. Cf. Arriani *Ind.* 11, 9.

[11] = quarta casta infima, quae serviendo tribus castis primoribus morigeratur: ...*his principal business was to serve the three higher castes* = Vaman Shivram Apte, *The Student's Sanskrit-English Dictionary*, Bombay 1922, p. 560.

[12] Qui Brahmanum principatus a Graecis ore consono concelebratur, velut ab Arriano, ubi Megasthene auctore σοφισταί (= Βραχμᾶνες) dicantur δόξῃ... καὶ τιμῇ γεραρώτατοι = Arriani *Ind.* 11, 1. Cf. insuper Strab. *Geogr.* 15, 1, 39; Diod. *Bibl.* 2, 40, 1: ...τῇ δ' ἐπιφανείᾳ πάντων πρωτεῦον.

[13] Arriani *Ind.* 11—12.

[14] = „dupliciter geniti" vocantur tribus castis primoribus ascripti, quod post priorem ortum naturalem quasi iterum nasci videantur, cum peculiari gliscente caerimonia adeo sollemni ritu introducantur in tres castas primores. Ceterum plerumque vocabulum dvija ad solos Brahmanas nominandos ad amussim quadrat adamatum (cf. Gawroński, l. l. p. 190) aeque atque vipra.

[15] *Mahbh.* 5. 1127.

(=brāhmaṇa vēdabāṇdhavāḥ[16]), cum interea Manu nimirum solo Brahmanum principatu plus nimio confisus Brahmanas seu indoctos sive doctos numina magna vix gravatus foret admirari[17].

Argumentum ex silentio alto Graecorum Vedas praeterlabentium mihi prolaturo inclinabat animus, ut inquirerem post aetatem Vedicam quando Brahmanes a Graecis memorari coepti forent. Hic iam primus omnium Herodotus vigeret tantae mentionis integer auctor, si modo Brahmanas nominatim advocasset loco illo praesigni, ubi probatam Indorum abstinentiam ita passim praelucentem laudaverat[18], ut ad mirificam Brahmanum silvicolarum continentiam[19] in omni victu, vestitu, denique vitae cultu accedere videretur. Sed cum Brahmanes neque illic neque alias a Herodoto nominatim umquam sint advocati, forsitan e tanto silentio nequiquam Brahmanum mentio eliciatur. Accedit quod a Herodoto omnes Indi — ne Brahmanum quidem casta excepta — consimilem Aethiopibus[20] colorem prodere dicuntur, qui color fuscus in castam Brahmanicam oriundam ab Ariis minus queat quadrare. Quibus rationibus examinatis nondum discriminatas esse a Herodoto discolores Indorum castas adeo apparet, ut India caturvarṇya — utpote in quattuor castas discripta secundum colorem — nequaquam ab Herodoto adumbrata esse videatur.

Ceterum ne posteriores quidem Graecorum auctores Alexandri Magni tempestate florentes enucleare pergebant argumenta castam Brahmanicam distinguentia, cuius quidem imperiosa maiestas, adhuc indubia, ob rerum discrimina labentium saeclorum tractu oriunda iam tunc aliquatenus impugnata infringi coepta foret. Nam ex quo Vardhamāna vates clarissimus — honoris gratia modo Mahāvīra[21], plerumque Jina[22] nuncupatus — sexto

[16] *Mahbh.* 5, 1131.

[17] Manu 9, 317.

[18] Herod. *Hist.* 3, 100: Ἑτέρων δέ ἐστιν Ἰνδῶν ὅδε ἄλλος τρόπος. Οὔτε κτείνουσιν οὐδὲν ἔμψυχον οὔτε τι σπείρουσιν οὔτε οἰκίας νομίζουσιν ἐκτῆσθαι ποιηφαγέουσί τε...

[19] Quae continentia a Graecis ore consono memoratur, velut ab Arriano: Οὗτοι γυμνοὶ διαιτῶνται οἱ σοφισταί (= Βραχμᾶνες) ...Σιτέονται δὲ τὰ ὡραῖα καὶ τὸν φλοιὸν τῶν δενδρέων. γλυκὺν τε ὄντα τὸν φλοιὸν καὶ τρόφιμον... = Arriani *Ind.* 11, 7—8. Cf. insuper Strab. *Geogr.* 15, 1, 58: Διατρίβειν δὲ τοὺς φιλοσόφους ἐν ἄλσει ...λιτῶς ζῶντας ἐν στιβάσι καὶ δοραῖς, ἀπεχομένους ἐμψύχων...

[20] Herod. *Hist.* 3, 101: ...καὶ τὸ χρῶμα φορέουσιν ὅμοιον πάντες καὶ παραπλήσιον Αἰθίοψιν.

[21] = „Magnus heros".

[22] = „Victor".

a. Chr. n. saeculo illam discriplinam Jainicam constituerat. quae Brahmanum silvicolis asperioris vitae eremiticae palmam praeriperet, alumnorum adaugebatur studium Brahmanas aemulantium. Quid? quod adeo Siddhārtha ille nobilissimus, cum haud procul a Gayā[23] sub fico mirifica iam Buddha[24] experrectus quattuor illas veritatés divinas contionabundus in urbe Varānasī[25] pronuntiasset muniturus octuplam semitam sanctissimam salutis alumnis graviora perpessis, mirum quantum valuit ad augenda agmina alumnorum potiora exempla silvicolis Brahmanicis praeripientium. Ita cum tantis auctoribus in dies numerus glisceret innumerus mortalium Himālayam petere gestientium, nimirum Graecorum auctores Alexandri Magni tempestate Brahmanas adumbraturi[26] similia ferme patiebantur atque etiamnunc experiuntur viatores intra vastas Indiae plagas exquisituri illos veros artis faqīricae cultores: nam quotus quisque sincerus inter tot fucosos talis professionis actores inveniri queat, si dumtaxat intra plagas supra regionem Haridvār[27] sitas in Himālaya idem reperiatur? Ceterum auctores Graeci iam ante Megasthenem in Bihāram legatum Brahmanas exquirentes solito rectius rimabantur per Gandhāram[28], intra amnes Indum atque Hydaspen Sanscritice Vitastā nuncupatum, haud procul ab urbe Takṣaśilā[29] — quae Pālice Takkasilā appellatur — ubi iam inde antiquitus germanissimum idemque florentissimum cluebat illud disciplinae Brahmanicae seminarium, quo ne in urbe quidem Varānasī (= Kāśi)[30] clarior officina disciplinam Brahmanicam propagatura posteritati viguisse traditur. Ita quidem Takṣaśilā vix citra fidem memoratur Brahmanum sedes ab Onesicrito cum quindecim

[23] Quae regio celeberrima sita est in Bihara fere media ad occidentem vergenti.

[24] Qui quidem ex hac vita migrasse fertur circiter annum 480 a. Chr. n.

[25] Quae urbs Indorum sanctissima nunc Benares dicitur, ubi iam inde antiquitus vigebat amplissima Brahmanum disciplinae officina.

[26] Velut Nearchus, Onesicritus, Aristobulus, Clitarchus, quibus mox successit Megasthenes.

[27] Qua regione Gangis fluenta Himalayam perrumpentis provolvuntur per loca iam iamque patentia.

[28] Quae regio sita est in India septemtrionali ad occidentem vergenti.

[29] Quam urbem longe celeberrimam Graeci Τάξιλα nominabant.

[30] Cf. annotatiuncula[25].

sophistis Alexandri Magni iussu colloquenti[31]. Neque hic est praetermittendus memoria dignissimus Aristobulus Brahmanum admirator in urbe Takṣaśilā florentium[32]. Quam urbem etiam posteriore tempore a Graecis esse memoratam cum maxime testificantur Philostrati de Apollonio Tyanensi libri, ubi Apollonius Tyanensis in urbe Takṣaśilā[33] de itinere, quod ad Brahmanas duceret, certior factus est[34].

Ad Megasthenem venio longe inclutissimum Indorum aestimatorem, quo nemo Graecorum uberius, nemo exactius, nemo denique perfectius res Indicas conscripserat[35]. Qui cum legatus circiter annum 300 a. Chr. n. a Seleuco Nicatore rege ad Indorum regem, qui Candragupta vocabatur, tantisper plurimis ad Indiam cognoscendam nuntiis usus foret, dum moraretur in aula regia in urbe Pātaliputra[36], materiam undique acquirebat congesticiam, unde India componeretur[37], quam tunc iam circumsonaret disciplina Buddhaica[38] minus amica — aeque atque Jainica — praefractae Brahmanum doctrinae atque imperiosae maiestati, unde Brahmanum adhuc omnipotentium nimia voluntas aliquatenus in posterum infringi coepta foret. Iam illud inter nondum iudicatas res abeat, utrum Brahmanicis, an Buddhaicis, an nescio quibus aliis internuntiis Megasthenis nitatur materia Indiae componendae destinata: hoc vero, de quo impraesentiarum agitur'

[31] Strab. *Geogr.* 15, 1, 63: Καταλαβεῖν δὲ ἄνδρας πεντεκαίδεκα ἀπὸ σταδίων εἴκοσι τῆς πόλεως, ἄλλον ἐν ἄλλῳ σχήματι ἑστῶτα ἢ καθήμενον ἢ κείμενον γυμνόν, ἀκίνητον ἕως ἑσπέρας, εἶτ' ἀπερχόμενον εἰς τὴν πόλιν.

[32] Strab. *Geogr.* 15, 1, 61: Ἀριστόβουλος δὲ τῶν ἐν Ταξίλοις σοφιστῶν ἰδεῖν δύο φησὶ Βραχμᾶνας ἀμφοτέρους...

[33] Philostr. *Vit. Apoll.* 2, 20: Πορευθέντας δ' αὐτοὺς ὑπὲρ τὸν ποταμὸν ἦγεν... εὐθὺ τῶν Ταξίλων...

[34] Ibid. 2, 27: Ἐπεὶ δ' ἱκανῶς διελέχθησαν περὶ τῆς ὁδοῦ τῆς παρὰ τοὺς Βραχμᾶνας...

[35] S. Witkowski, *Historiografia grecka...*, III, Kraków 1927, p. 111: *Dzieło Megastenesa* Ἰνδικά *stanowi ostatni wyraz tego, co starożytność wiedziała o Indiach... nikt przed nim ani po nim nie dał tak wyczerpującego obrazu kraju i ludzi jak Megastenes...*

[36] Patna in Bihara septemtrionali ad occidentem vergenti.

[37] T. Sinko, *Literatura grecka*, II 1, Kraków 1947, p. 173: *W jego rezydencji Pataliputra... zbierał wiadomości o dalszych krainach, a wyniki tych wywiadów złożył w dziele* Ἰνδικά *(w 4 księgach).*

[38] Cf. Clem. Alexandr. *Strom.* 1, 15, 71, ubi Megasthene auctore memorantur Buddha atque Indi οἱ τοῖς Βούττα πειθόμενοι παραγγέλμασιν, ὃν δι' ὑπερβολὴν σεμνότητος εἰς θεὸν τετιμήκασιν.

colligere ausim atque concludere in aestimandis Brahmanum rationibus a Megasthene interposita esse aliquot elementa mantissae quasi vice fungentia, quae tamen in castam Brahmanicam vix ad amussim quadrare videantur: quod cum maxime in circumspicienda vocabuli Brahmanum notione — adhuc conspicua apud Strabonem — adeoque in vocabuli sophistae notione versicolori apud Arrianum Megasthenis vestigiis insistentem deprehendi opinor.

Iam Megasthenes cum Indos secundum ipsorum studia, quae ipse in India et viderat et audierat, septemfariam[39] discripserit contra Brahmanum placita quattuor dumtaxat castas (brāhmaṇa — kṣatriya — vāiśya — śūdra) praeferentia[40], tamen tantum tot generum principatum usquequaque castae Brahmanicae non tam numero quam splendore maiestatis praesigni concessit[41] lubentius, unde spes non nulla arridere videretur legentibus apud Megasthenem notiones verborum sane observantem vocabulis Brahmanum sapientumve[42] inde solos Brahmanas castae Brahmanicae ascriptos morosius significatum iri. Quae spes tamen ad incitas redacta cadere videtur, cum post Indiae incolas iam iamque discriptos porro legentibus superveniat sophistes[43] ille quaviscumque casta oriundus ideoque vix iure inter Brahmanas numerandus, quia inter omnes constat castam Brahmanicam adeo in se clausam ac discriminatam esse a reliquis omnibus castis, uti omnino nemini discolori ulla illuc receptaculi orbita devertatur. Unde tamen apparet notiones vocabulorum Brahmanum sapientumve in circumspiciendis singulis rationibus ita mutari, uti lucubrandi emolumentum esse videatur talia rimari, quo exactius tandem

---

[39] Discribuntur: σοφισταί... (φιλόσοφοι) — γεωργοί — νομέες (ποιμένες τε καὶ βουκόλοι) — δημιουργικόν τε καὶ καπηλικὸν γένος — πολεμισταί — ἐπίσκοποι (ἔφοροι) — σύμβουλοι (σύνεδροι) = Arriani *Ind.* 11. 1–12, 6.

[40] Cf. *Caste*, 1890, l. l., p. 5.

[41] Arriani *Ind.* 11, 1: Ἓν μὲν αὐτοῖσιν οἱ σοφισταί εἰσι, πλήθει μὲν μείους τῶν ἄλλων, δόξῃ δὲ καὶ τιμῇ γεραιώτατοι. Cf. insuper Strab. *Geogr.* 15, 1, 39: ...καὶ πρώτους μὲν τοὺς φιλοσόφους εἶναι κατὰ τιμήν, ἐλαχίστους δὲ κατ᾽ ἀριθμόν·...; Diod. *Bibl.* 40, 1 ...ὧν ἐστι τὸ μὲν πρῶτον σύστημα φιλοσόφων, πλήθει μὲν τῶν ἄλλων μερῶν λειπόμενον, τῇ δ᾽ ἐπιφανείᾳ πάντων πρωτεῦον.

[42] Cf. annotatiuncula 6.

[43] Arriani *Ind.* 12, 9: Μοῦνον σφισιν ἀνεῖται σοφιστὴν ἐκ παντὸς γένεος γίνεσθαι, ὅτι οὐ μαλθακὰ τοῖσι σοφιστῇσίν ἐστι τὰ πρήγματα, ἀλλὰ πάντων ταλαιπωρότατα. Qui sophistes quaviscumque casta oriundus non in castam Brahmanicam, sed in Sarmanas extra castam versantes quadrare videtur.

aliquando Brahmanum apud auctorēs Graecos notiones elicianturantur.

Iam ut ordiar a proprio castae Brahmanicae eodemque gravissimo nomine brāhmaṇa[44] — oriundo a vocabulo Sanscritico brahman[45] — quod inde primum censetur in aestimationem venturum, unde potiora notionis migrantis promantur argumenta, quam ex illo Strabonis loco manufesto, ubi inter Brahmanas quadrifariam[46] discriptos cum maxime gymnetas illos triginta septem annorum continentiam exercentes[47] ad eremitas Brahmanicos, qui vānaprastha[48] vocantur, accedere autumaverim, cum alii aliunde oriundum praeferant colorem. Accedit Nearchus Brahmanas secundum ipsorum officia studiaque ita discripturus[49], uti liquido illic internoscantur consultores regii, quorum summa apud Indos censebatur auctoritas. Ceterum si contentio quaedam fiat et comparatio Brahmanum aliorumque eremitarum[50], iam casta Brahmanica in illas potissimum species, unde sapientes internoscantur, abire videtur, cum insigniatur sapientum vocabulis[51], de quibus mihi haec postrema, quae restat impraesentiarum, lucubratiunculae particula tripartita instituitur.

Quae sapientum notiones quo usque abeant, unde plenius demonstretur, quam exemplo notionis vocabuli sophistae, quae quasi trifariam scindi adeoque videtur migrare in tres species,

[44] Qui apud Graecos Βραχμᾶνες. Βραχμᾶναι. Βραχμάναι. Βραχμάνοι vocabantur.

[45] Cf. V. S. Apte, l. l. p. 394—396, ubi notiones vocabuli brahman percensentur.

[46] Strab. *Geogr.* 15, 1, 70: Τούτων δὲ τοὺς μὲν ὀρεινοὺς καλεῖσθαι, τοὺς δὲ γυμνήτας, τοὺς δὲ πολιτικοὺς καὶ προσχωρίους.

[47] Ibid.: ...τοὺς δὲ γυμνήτας κατὰ τοὔνομα γυμνοὺς διαζῆν, ὑπαιθρίους τὸ πλέον, καρτερίαν ἀσκοῦντας ἣν ἔφαμεν πρότερον μέχρι ἑπτὰ ἐτῶν καὶ τριάκοντα·... τούτους δὲ θαυμάζεσθαι διαφερόντως. Cf. ibid. 15, 1, 59: Ἔτη δ' ἑπτὰ καὶ τριάκοντα οὕτως ζήσαντα...

[48] „silvicolae", qui apud Graecos ὑλόβιοι sed ita appellantur, ut non ubique solos Brahmanas, verum adeo eremitas aliunde oriundos interdum significent. quod et apud Indos interdum occurrere testificatur V. S. Apte, l. l., p. 501.

[49] Strab. *Geogr.* 15, 1, 66: Νέαρχος δὲ περὶ τῶν σοφιστῶν οὕτω λέγει. τοὺς μὲν Βραχμᾶνας πολιτεύεσθαι καὶ παρακολουθεῖν τοῖς βασιλεῦσι συμβούλους, τοὺς δ' ἄλλους σκοπεῖν τὰ περὶ τὴν φύσιν.

[50] Strab. *Geogr.* 15, 1, 70: Φιλοσόφους δὲ τοῖς Βραχμᾶσιν ἀντιδιαιροῦνται Πράμναι...

[51] Recurrunt illic: γυμνοσοφισταί. σοφισταί. φιλόσοφοι. σοφοί.

quarum una castam Brahmanicam solam comprehendit, sine reliquis eremitis, altera iam Brahmanas aliosque eremitas promiscue complectitur, tertia denique alios eremitas praefert absque casta Brahmanica.

Iam prima species notionis vocabuli sophistae castam Brahmanicam solam comprehendentis unde ad demonstrandum appositior elici queat, quam ex duobus[52] locis Arriani Brahmanas secundum Megasthenem aestimantis. Qui cum priore loco[53] videlicet Brahmanas nominatim significantius vocasset eorumque sapientiam sese alias adumbraturum ibidem promisisset, ita iam alias[54] idem solvit promissum, ut eosdem Brahmanas non quidem Brahmanum sed passim sophistarum nomine illic[55] depingendos curaverit: unde luce clarius apparere dixerim notione sophistae illic castam Brahmanicam solam designari absque aliis eremitis. Quod argumentum clarissimum adeo cumulatur, quia non nulla, quae illic sophistis a Megasthene appinguntur, dumtaxat in castam Brahmanicam ad amussim quadrant examinata, velut notissimus ille principatus Brahmanicus, officia Brahmanica in sacrificando, vaticinando, consulendo, docendo[56] consistentia, denique mirifica continentia[57] in omni victu, vestitu, vitae cultu eremiticae. Nec tamen omnibus numeris expleta ac perfecta esse videtur illa casta Brahmanica, memoriae tradita a Megasthene, quod illic ex honoribus Brahmanicis modo carentibus desideretur cum maxime purohita[58] ille inclutissimus aulicus sacerdos Brahmanicus omnipotens auctoritate ac voluntate, qui ne uno quidem loco umquam a Graecis auctoribus castam Brahmanicam aestiman-

[52] = Arriani *Anab.* 6, 16, 5: *Ind.* 11.

[53] Arriani *Anab.* 6, 16, 5: ...Βραχμάνων, οἳ δὴ σοφισταὶ τοῖς Ἰνδοῖς εἰσιν ... Ὑπὲρ ὧν ἐγὼ τῆς σοφίας ...ἐν τῇ Ἰνδικῇ ξυγγραφῇ δηλώσω.

[54] = Arriani *Ind.* 11, ubi promissum illud ita solvitur, uti ne semel quidem illic Βραχμᾶνες iam promissi aestimentur, verum passim σοφισταί (= Βραχμᾶνες) censeantur in aestimationem venturi.

[55] Arriani *Ind.* 11, ubi ne semel quidem memorantur Βραχμᾶνες, verum *passim* σοφισταί Brahmanas solos significaturi, velut: Νενέμηνται δὲ οἱ πάντες Ἰνδοὶ ἐς ἑπτὰ μάλιστα γένεα. Ἓν μὲν αὐτοῖσιν οἱ σοφισταί εἰσι, πλήθει μὲν μείους τῶν ἄλλων, δόξῃ δὲ καὶ τιμῇ γεραιώτατοι = Arriani *Ind.* 11, 1.

[56] Strab. *Geogr.* 15, 1, 61: Ἀριστόβουλος δὲ τῶν ἐν Ταξίλοις σοφιστῶν ὁδεῖν δύο φησί, Βραχμᾶνας ἀμφοτέρους. ...ἀμφοτέροις δ' ἀκολουθεῖν μαθητάς.

[57] Cf. annotatiuncula 19.

[58] *Caste*, l. l., p. 11: *The Brahman was at first simply an assistant at sacrifices... Afterwards he became a purohita... or family priest. This office became hereditary and those who held at courts became the advisers and counsellors of kings.*

tibus memoratus esse videatur, nisi forte eliciatur purohita ex illo clarissimo loco, ubi Nearchus[59] Brahmanas consultores regios internoscat.

Altera iam sequitur species notionis sophistae Brahmanas aliosque eremitas promiscue complectentis, cuius auctorem esse Megasthenem Strabo et Clemens Alexandrinus significantius testificantur, cum iam bifariam[60] dividi a Megasthene gymnosophistarum philosophorumque genus ita contendunt, uti illic discriminentur Brahmanes silvam colentes (= vānaprastha) a Sarmanum genere vitam eremiticam amplectentium, qui Sanscritice śramana[61], Pālice samana vocantur: quos equidem antestor tanta arridente occasione, nequaquam Garmanas[62], verum ubique Sarmanas esse legendos ac vocandos illos eremitas a Graecis laudatos. Iam cum illud inter nondum iudicatas res abire videatur, utrum Buddhaici, an Jainici, an alii sint Sarmanes illi a Graecis discripti, tamen inita subductaque ratione ausim concludere potius Buddhaicos quam alios Sarmanas illic a Megasthene aestimari, quia disciplina Buddhaica iam tunc circumsonabat Megasthenem, qui circiter annum 300 a. Chr. n. a Seleuco Nicatore rege legatus in Bihāram septemtrionalem aliquamdiu morabatur in urbe Pāṭaliputra haud procul sita a regione Gayā, ubi Siddhārtha olim sub ficu mirifica Buddha experrectus disciplinam quattuor veritatum divinarum pronuntiarat minus amicam praefractae doctrinae Brahmanum adhuc omnipotentium, unde ipsorum imperiosa maiestas aliquatenus infringi coepta foret. Accedit quod a Megasthene Buddha ipse mirum quantum aestimabatur[63], unde quidem coniciendum est disciplinam Buddha-

[59] Strab. *Geogr.* 15, 1, 66: Νέαρχος δὲ περὶ τῶν σοφιστῶν οὕτω λέγει. τοὺς μὲν Βραχμᾶνας πολιτεύεσθαι καὶ παρακολουθεῖν τοῖς βασιλεῦσι συμβούλους...

[60] Strab. *Geogr.* 15, 1, 59: δύο γένη... ὧν τοὺς μὲν Βραχμᾶνας καλεῖ, τοὺς δὲ Γαρμᾶνας.

Clem. Alexandr. *Strom.* 1, 15, 71: Διττὸν ...γένος, οἱ μὲν Σαρμᾶναι αὐτῶν, οἱ δὲ Βραχμᾶναι καλούμενοι.

[61] = „*a Buddhist ascetic*" = V. S. Apte, l. l. p. 564, ubi et aliae notiones ampliores citantur, velut: „*an ascetic*" — „*a devotee*" — „*a religious mendicant in general*".

[62] Quae lectio, forsitan orta ob incuriam scribae litteram C = Σ in Γ(αρμᾶνας) similitudinis gratia transformaturi, mea utique opiniore in Σαρμᾶνας mutanda esse videtur secundum Sanscritica documenta ne semel quidem Γαρμᾶνας excientia.

[63] Cf. Clem. Alexandr. *Strom.* 1. 15, 71, 6, ubi Megasthene auctore memorantur Indi οἱ τοῖς Βούττα πειθόμενοι παραγγέλμασιν, ὃν διὰ ὑπερβολὴν σεμνότητος εἰς θεὸν τετιμήκασιν.

icam a Megasthene internosci atque eremitas Buddhaicos, qui Sanscritice śramaṇa, Pālice samaṇa, Graece Σαρμᾶναι a Megasthene vocati esse videntur. Atque si contentio quaedam et comparatio fiat eremitarum Alexandri Magni tempestate degentium, primas fere samaṇa Buddhaici tunc obtinuisse videntur, qui aeque atque vānaprastha Brahmanici a Graecis silvicolae[64] appellitantur, unde ipsa eremitarum discrimina silvicolarum nomine delitescant. Ita reapse haec altera species notionis vocabuli sophistae latius quidem quam illa prima pandi queat, cum silvicolas Brahmanicos aeque atque Buddhaicos complectatur. Qui ita quidem in promiscuo censentur in aestimationem venturi forsitan non secundum ipsius Megasthenis censendi rationem a Graecis adamatam, verum potius ob populi aestimationem illic a Megasthene repetitam[65]. Quo tamen amplius talia probentur Megasthenis conamina consuetudine populi oriunda quasi coniventis in eremitis manufestius discriminandis, reminisci iuvat, quo usque ipse Aśoka[66] rex Indorum longe inclutissimus idemque princeps primorum Buddhaicae disciplinae fautorum, in edictis, quae rupibus incidi iusserit, in secernendis Brahmanum aliorumque Sarmanum rationibus plane conivere videatur, cum ipse vocabulis brāhmaṇaśramaṇa: śramaṇabrāhmaṇa[67] quasi consilio iuxta positis usus non modo ad tollendam nimiam castarum differentiam, verum adeo ad probandam itemque excusandam rationem Megasthenis haud absimilia incohantis haud parum valere videatur. Namque Aśoka rex — Megasthenis aetati fere conterminus — idem fere atque Megasthenes eremitarum undique convenientium proposuit spectaculum, ubi brāhmaṇaśramaṇa aeque atque śramaṇabrāhmaṇa in promiscuo versarentur quasi iam infracta imperiosa Brahmanum

---

[64] = ὑλόβιοι, qua ratione aestimantur non solum Brahmanes, verum etiam Sarmanes, velut apud Strabonem *Geogr.* 15, 1, 60: Τοὺς δὲ Γαρμᾶνας ὑλοβίους φησὶν ὀνομάζεσθαι, ζῶντας ἐν ταῖς ὕλαις... Μετὰ δὲ τοὺς ὑλοβίους... Cf. Clem. Alexandr. *Strom.* 1, 15, 71, 5: καὶ τῶν Σαρμανῶν οἱ ὑλόβιοι προσαγορευόμενοι...

[65] F. J. Monahan, *The Early History of Bengal*, Oxford 1925, p. 151: *...Megasthenes would naturally be led... to treat Brahman and non-Brahman priests, monks, and ascetics of different denominations as forming one class of „philosophers" or „sophists". In this view he may, probably, have been supported by what appeared to him to be the popular estimation...*

[66] Viguerat rex annis ferme 273—232 a. Chr. n.

[67] Cf. F. J. Monahan, l. l., p. 151, ubi ambo vocabula aestimantur: *In several of Aśoka's edicts we find the expression ...written as a compound word referring to a class of persons „brahmans and ascetics", and respect for the class enjoined.*

maiestate sublataque morosa discriminandi ratione propria castae Brahmanicae.

Tertia denique species restat notionis vocabuli sophistae alios eremitas praeferentis absque casta Brahmanica. Cum enim contendit Megasthenes ab Arriano memoratus posse sophistas ex quaviscumque casta oriri[68], vix dubium cuiquam relinquitur, quin tales sophistae quaviscumque casta oriundi minus quadrare videantur in castam Brahmanicam adeo a reliquis omnibus castis discriminatam, uti omnino nemini discolori ulla illuc devertatur receptaculi semita. Iam cum illas rationes discriminandi, unde castae ceu cancellis circumdentur, Megastheni aliquatenus cognitas esse appareat Arriano testificante[69], haud sciam an tertia illa species notionis vocabuli sophistae nequaquam ad Brahmanas sed potissimum ad solos Sarmanas significandos valeat secundum clarissima illa Pālica litterarum monumenta, quae nuncupata feruntur Jātakamālā[70], quasi Corolla 550 vitarum, quas Bōdhisatta[71] qui vocatur Pālice, tantisper foret perpessus, dum quingenties quinquagies renasceretur. Qui quidem contionabundus — ut fert Vinayapiṭaka 9, 1, 4 — apud alumnos degentes vitam solitariam in egestate, inita subductaque quattuor castarum ratione insignem illam appingit contentionem, ubi khattiya, brāhmaṇa, vessa, sudda Himālayam petere gestientes sese sua quisque casta abdicent, similiter atque amnes illi primores: gaṅgā, yamunā, aciravatī, sarabhū, mahī, qui cum mari oceano miscentur, iam iamque nominatim evanescunt. Unde forsitan coniciendum sit illos ex quaviscumque casta oriundos mortales Himālayam petere gestientes hic ita memorari, quasi iam porro extra castas versentur vitam solitariam acturi in egestate non nisi petendae saluti intentissimi: qui eremitae Sanscritice śramaṇa, Pālice samaṇa appellantur, quos quidem Graeci potissimum Sarmanas vocasse videantur. Itaque inita subductaque ratione impraesentiarum concludere ausim non Brahmanas, sed Sarmanas reapse ex quaviscumque casta oriundos ac porro iam extra castas vitam eremi-

---

[68] Arriani *Ind.* 12, 9: Μοῦνόν σφισιν ἀνεῖται σοφιστὴν ἐκ παντὸς γένεος γίνεσθαι...

[69] Ibid. 12, 8: Γαμέειν δὲ ἐξ ἑτέρου γένεος οὐ θέμις.... οὐ δὲ ἀμείβειν ἐξ ἑτέρου γένεος ἐς ἕτερον...

[70] Gawroński, l. l., p. 193: *...znaczy Girlanda dżatak, czyli wieniec opowiadań z dawnych żywotów Buddhy, kiedy chodził po świecie jako Bodhisattva...*

[71] Sanscritice = Bodhisattva. Cf. Gawroński, l. l. p. 193.

ticam degentes hac tertia notione vocabuli sophistae comprehendi.

Si quis tamen hic exoriatur reclamaturus vix posse tertiam hanc speciem notionis sophistae adeo restringi, ut illinc casta Brahmanica quasi eximatur excepta, haud sciam an ista ratione iam conicendum sit, illas normas discriminandi, quibus fundatae nitantur perennes Indorum castae, Megastheni minus cognitas esse: quod tamen hic sane citra fidem Megastheni obiceretur, contra respondente Arriano illis, quos iam supra protuli, locis, unde equidem opinari ausim Megastheni castae Brahmanicae discriminandae rationes fere cognitas esse, quam castam constaret adeo fuisse clausam ac discriminatam, uti omnino nulla cuiquam discolori ex alia casta in castam Brahmanicam migrandi occasio arridere videretur.

Ita concludere iuvat Graecos aestimaturos castam Brahmanicam — tempestate Alexandri Magni vigentem — dumtaxat superficiem oculis auriculisve perceptam effigiei appingere, cum interiora tantae castae instituta — videlicet mlēcchis vix conspicua — ne a Graecis quidem penitus digesta sint, ad quae cognoscenda cum maxime necessarium linguae Sanscriticae instrumentum desideretur, quo tot arcana illic illustrentur. Itaque Graeci primoribus dumtaxat labellis praegustasse videntur maiestatis Brahmanicae dulcedinem: quam si percepissent atque imis imbibissent medullis, minus dubium cuiquam relinqueretur, quin, si quando umquam illuc animum intendissent, tantam quidem occasionem talia pangendi adeo arrepturi fuerint, uti forsitan multimodis dulciora modularentur alloquia, quam quod infra transcriptum ac translatum olim cecinerat Manu nimirum nimia ablatus fiducia „Brahmana seu indoctum, sive doctum esse numen magnum item, ut ignem, seu feratur ad altaria, sive non feratur, esse numen magnum" = Manu 9,317:

avidvāṁścāiva vidvāṁśca brāhmaṇō dāivataṁ mahat
praṇītaścāpraṇītaśca yathāgnirdāivataṁ mahat

Posnaniae

DE SOPHOCLIS *PLYNTRIIS*

Scripsit
VICTOR STEFFEN

Inter Sophoclis fabularum titulos superstites exstat titulus Ναυσικάα ἢ πλύντριαι a posterioribus scilicet sic coniunctus, ut duplex appareat, cum scriptores veteres iam Ναυσικάαν iam Πλυντρίας separatim nominent[1]. Ambo nomina ad unam eandemque fabulam pertinere non solum ex Homeri narratione (*Odyss.* l. VI) elucet, verum etiam Eustathii testimonio probatur, apud quem in *Odyss.* p. 1553 sq. haec leguntur: ἐπεμελήθησαν ὕστερον σφαιριστικῆς πόλεων μὲν κοινῇ Λακεδαιμόνιοι — ἰδιωτῶν δὲ Σοφοκλῆς ὁ τραγικός, ὃς καὶ ὅτε. φασί, τὰς Πλυντρίας ἐδίδασκε, τὸ τῆς Ναυσικάας πρόσωπον σφαίρᾳ παιζούσης ὑποκρινόμενος, ἰσχυρῶς εὐδοκίμησεν. Uter fabulae titulus genuinus sit, utrum simplex an duplex primo fuerit, argumentis deficientibus facile discerni non potest, quamquam consideratis reponderatisque Eustathii verbis Πλυντριῶν inscriptionem congruentiorem et probabiliorem esse duxeris fabulae, quae a posterioribus grammaticis accurationi minus studentibus ea de causa Nausicaae nomen accepisse videatur, quod Nausicaa prominentes partes in hac fabula egisset[2]. Sed hanc quaestionem, licet adeo animos nostros allicientem, mittamus non solutam, ne forte praematuris minusque constantibus coniectationibus ex lubricis in devia aberremus.

Ut veteres scriptores de titulo fabulae ambigunt, ita de fabulae indole dissentiunt nostrorum temporum viri docti. Alii enim *Nausicaam* tragoediam fuisse putant, alii fabulis ambiguis eam annumerant, i. e. eis fabulis, quae quartum tetralogiarum locum obtinentes satyrorum generi alienae erant, quia choro satyrico carebant, ad tragoedias autem referri non poterant propter actionis levitatem fabulis seriis non convenientem[3], alii denique *Nausi-*

[1] Ναυσικάαν memorant: Athenaeus I p. 20 sq.; Eustathius in *Iliad.* p. 381, 10; Photius Reitzensteinianus p. 120, 28; Hesychius I p. 181; Pollux X 52. Πλυντριῶν nomen afferunt: Eustathius in *Odyss.* p. 1553 sq.; Pollux VII 45.

[2] De hac grammaticorum in fabularum titulis afferendis incuria cf. Guil. Hippenstiel, *De Graecorum tragicorum principum fabularum nominibus*, Marpurgi Cattorum 1887; V. Steffen, *De quibusdam fabularum satyricarum titulis*, Coniectanea Seminarii Philologici Posnaniensis, Fasc. I, Posnaniae 1934, p. 5 sqq.

[3] Cf. V. Steffen, *Quaestionum tragicarum capita tria*, Pozn. Tow. Przyj. Nauk. Prace Komisji Filologicznej, T. XI, 1, Posnaniae 1939, p. 16 sq.

caam satyricam fuisse suspicantur. Quae virorum doctorum opiniones cum tantopere inter se discrepent, in quaestionem iam multum fatigatam accuratius inquirere placuit, ut tandem aliquando controversiae finis imponeretur, praesertim cum res ipsa solvi posse videretur.

Ex Eustathii testimonio (in *Odyss.* p. 1553 sq.), quod supra allatum est, Nausicaam primarias partes in fabula egisse coniecimus eaque de causa fabulam Nausicaae nomine aut a poeta ipso aut a posterioribus grammaticis fabulae argumentum non ignorantibus nuncupatam esse statuimus. Ex eodem Eustathii testimonio apparet Sophoclem ipsum fabulam scaenae committentem Nausicaae personam induisse et partes eius ita egisse, ut elegantissimo pilae lusu maximum spectatorum applausum sibi mereret[4]. Qua ex re facile concludi potest Nausicaae personam non maerentem, ut in tragoediis fieri solet, spectatoribus monstratam esse, sed curis liberam, hilarem, ludibundam, Nausicaam scilicet eam, quam ex Homeri carmine cognitam habemus. Itaque ab Eustathio alio quodam loco (in *Iliad.* p. 381, 10) Sophoclem tamquam elegantissimum pilae lusorem celebrante fabulam illam, in qua poeta artem suam ostendisset, non tragicam, sed dramaticam consulto appellatam esse censeo, ut fabulae levioris indoles indicaretur: Σοφοκλῆς περιάδεται — δεινὸς εἶναι σφαιρίσαι, ὡς ἡ κατ' αὐτὸν ἐδήλωσε δραματικὴ Ναυσικάα. Accedit etiam, quod in fragmento 109 St. ex Sophoclis *Nausicaa* allato vox q. e. ἐπενδύτης occurrit a nemine, quod sciamus, ante Sophoclem in litteras recepta, post Sophoclem autem solum apud Nicocharem obvia. Quam vocem scriptoribus potius contemnendam ex vulgari sermone in Sophoclis fabulam inductam esse contestari videtur Pollux VII 45: καὶ ὁ ἐπενδύτης ἐστὶν ἐν τῇ τῶν πολλῶν χρήσει, ὅστις βούλοιτο καὶ τούτῳ τῷ ὀνόματι βοηθεῖν φαύλῳ ὄντι, ληπτέον αὐτὸ ἐκ τῶν Σοφοκλέους Πλυντριῶν. Tragicos sermonis elegantiae studentes vulgaria nomina in componendis tragoediis vitasse, in fabulas vero satyricas et eas, quas ambiguas nominavimus, admittere solitos esse satis constat[5].

Quamquam illa actionis hilaritas Nausicaae puellae conveniens et insolitum apud scriptores antiquos nomen q. e. ἐπενδύτης fabulam ambiguam vel satyricam redolere videntur, tamen impri-

[4] Elegantem Sophoclis lusum laudat etiam Athenaeus I p. 20 sq.: ἄκρως δὲ ἐσφαίρισεν (sc. Sophocles), ὅτε τὴν Ναυσικάαν καθῆκε.

[5] Cf. W. Steffen, *Dramaty satyrowe Aischylosa.* Eos XLII 2 (1948), p. 171 sqq.

mis titulus Πλύντριαι viros doctos impedit. quominus fabulam Nausicaae res tractantem satyricam fuisse agnoscant. Haec obiectio multis viris doctis acceptissima originem ducit a Fr. G. Welckero, qui feminini generis titulos numero plurali expressos a fabulis satyricis alienos esse praedicavit, cum fieri non potuisse putaret, ut satyri chorum in fabulis satyricis efficientes feminarum partes susciperent[6]. Quae Welckeri opinio adeo inveteravit. ut novissimis quoque temporibus non desint, qui eam sustentandam esse arbitrentur. Sic A. de Blumenthal, cum Πλυντριῶν indolem satyricam agnoscere reformidet, necesse fuisse censet, ut satyri feminarum partes agerent, si fabula haec satyrica fuisset. Sed hac in opinione quasi labefactus statim addit nihil fere in hoc litterarum genere esse, quod fieri non posset[7], lectoremque ad Ionis *Omphalen* revocat, in qua fabula satyros puellarum partes suscepisse suspicatur[8]. Ego tamen titulum solum, sive primo fuit simplex Ναυσικάα aut Πλύντριαι sive fuit ab ipso initio duplex: Ναυσικάα ἢ πλύντριαι, nihil de fabulae indole prodere posse censerem, nisi quaedam de fabulae actione a scriptoribus veteribus tradita haberemus — elegantissimum illum pilae lusum dico — aut narrationem Homeri de Nausicaae rebus novissemus, quae Sophocli exemplo fuit in fabula construenda, aut denique alia argumenta fabulae indolem comprobantia afferre possemus. Atque in hac re discernenda succurrit nobis quaedam fabula Aeschyli, poetae in satyris fingendis spectatissimi[9], quem Sophocli in fabulis satyricis et ambiguis primitias facienti[10] exemplum exstitisse suspicari licet, etiamsi anti-

[6] *Nachtrag zu der Schrift über die aeschylische Trilogie nebst einer Abhandlung über das Satyrspiel*, Frankfurt am Main 1826, p. 290.

[7] A. v. Blumenthal, *Sophokles. Bericht über das Schrifttum der Jahre 1936—1938.* Jahresbericht für Altertumswissenschaft, Bd. 277, p. 55: „Ναυσικάα ἢ πλύντριαι *rechnet St(effen) unter die Satyrspiele..., urteilt also ähnlich wie W. Schmid* (Griech. Literaturgesch. II 442). *Aber müssten dann nicht die Satyrn die* Πλύντριαι *gewesen sein? Das ist natürlich nicht unmöglich — denn was ist in dieser Sphäre umnöglich? — aber nicht wahrscheinlich*".

[8] A. v. Blumenthal, *Ion von Chios. Die Reste seiner Werke*, Stuttgart-Berlin 1939, p. 42.

[9] Cf. Laert. Diog. II 133: (Μενέδημος) μάλιστα πάντων Ὁμήρῳ προσεῖχεν. εἶτα καὶ τοῖς μελικοῖς· ἔπειτα Σοφοκλεῖ, καὶ δὴ καὶ Ἀχαιῷ, ὥπερ καὶ τὸ δευτερεῖον ἐν τοῖς σατύροις. Αἰσχύλῳ δὲ τὸ πρωτεῖον ἀπεδίδου. Paus. II 13, 6: τούτῳ τῷ Ἀριστίᾳ σάτυροι καὶ Πρατίνᾳ τῷ πατρὶ εἰσι πεποιημένοι πλὴν τῶν Αἰσχύλου δοκιμωτατοι.

[10] *Nausicaam* ad iuveniles Sophoclis fabulas recte refert U. de Wilamowitz-Moellendorff, *Aischylos. Interpretationen*. Berlin 1914, p. 246, 1.

quiorum fabularum utriusque poetae fragmenta adeo sunt pauca et exigua, ut plenam mutuae rationis imaginem refingere nequeamus[11]. In animo habeo Aeschyli *Amymonam*, quam satyricam fuisse et ex picturis antiquis[12] et ex ipsis fabulae fragmentis et ex Apollodori narratione II 13 p. 54 (ed. Wagner) iam afferenda evidentissime comparet: ἀνύδρου τῆς χώρας (Argos dicit) ὑπαρχούσης, ἐπειδὴ καὶ τὰς πηγὰς ἐξήρανε Ποσειδῶν μηνίων Ἰνάχῳ, διότι τὴν χώραν Ἥρας ἐμαρτύρησεν εἶναι, τὰς θυγατέρας ὑδρευσομένας ἔπεμψε (Danaus). μία δὲ αὐτῶν Ἀμυμώνη ζητοῦσα ὕδωρ ῥίπτει βέλος ἐπὶ ἔλαφον καὶ κοιμωμένου σατύρου τυγχάνει, κἀκεῖνος περιαναστὰς ἐπεθύμει συγγενέσθαι· Ποσειδῶνος δὲ ἐπιφανέντος ὁ σάτυρος μὲν ἔφυγεν, Ἀμυμώνῃ δὲ τούτῳ συνευνάζεται, καὶ αὐτῇ Ποσειδῶν τὰς ἐν Λέρνῃ πηγὰς ἐμήνυσεν[13]. Cuius fabulae si titulum ignoraremus, perfacile eum aut simplicem ut Ἀμυμώνην aut duplicem ut Ἀμυμώνην ἢ ὑδρευομένας ex hac Apollodori narratione restituere possemus. Neque altera duplicis tituli pars (ὑδρευόμεναι) satyros choro coniunctos designaret, sed socias suscepti laboris, i. e. Amymonae sorores. Simillime res se habet cum titulo Sophocleo, qui est Ναυσικάα ἢ πλύντριαι. Hic quoque altera tituli pars referri non debet ad fabulae chorum, ut vult A. de Blumenthal, verum potius ad Nausicaam eiusque socias, i. e. ad ancillas, quae una cum regis filia lintea lavatum ibant, quod quidem clarissime elucet ex Homeri Odysseae libro sexto. Quae cum ita sint, gravissimum argumentum evertisse nobis videmur, quod tam cupide tamquam unica et efficacissima repulsio ab eis protendebatur, qui Πλυντριῶν indolem satyricam agnoscere nolebant[14].

Postquam tituli vim et significationem explicavimus, restat, ut fabulae summam ita adumbrare conemur, ut indoles satyrica

---

[11] Quaedam similitudines iam observatae sunt inter Aeschyli Ὀστολόγους (fr. 180 N²) et Sophoclis Συνδείπνους (fr. 140 N²); inter Aeschyli Δικτυουλκούς et Sophoclis Ἰχνευτάς, in quibus fabulis satyri eodem fere modo alliciuntur. Suspicari quoque licet inter Aeschyli Τροφούς et Sophoclis Διονυσίσκον quaedam similia fuisse.

[12] Cf. F. Brommer, *Satyrspiele. Bilder griechischer Vasen*. Berlin 1944, p. 21 sq.

[13] Cf. etiam Hygini fabula 169.

[14] Satyrica fabulae indoles ea quoque re probatur, quod fabula non ante aedes, sed ad fluvium agebatur, ubi mulieres lintea lavabant. Cf. Vitruvius V 6, 9: *satyricae* (scaenae) *ornantur arboribus, speluncis, montibus reliquisque agrestibus rebus in topoedis speciem deformatis.*

plenius prodeat latiusque pateat. Quod fiet, si Homeri *Odysseae* librum sextum in comparationem revocaverimus, quem Sophocli fabulam suam scribenti ante mentem obversatum esse constat, et cum Aeschyli fabula satyrica, cui nomen fuit 'Αμυμώνη, contulerimus. Itaque primum paucissimis verbis repetamus ea, quae de Nausicaa ex Homeri libro comperimus: Nausicaa somnio ab Athena admonita patrem rogat, ut sibi vehiculum mulis iunctum det, quo vestes et lintea lavanda cum ancillis ad fluvium vehat. Pater libentissime concedit, quae illa petit, mulosque vehiculo iungi statim iubet. Eodem tempore mater cibum potumque nec non olivarum oleum Nausicaae porrigit, quibus et Nausicaa et ancillae perfecto labore recreentur. Mox Nausicaa in vehiculo sedens ancillisque comitata ad fluvium pervecta est. Linteis lavatis et in gramine stratis, ut sole radiante siccarentur, Nausicaa et ancillae cibo potuque recreantur et oleo unguuntur. Tum pilae lusum instituunt. Collocatis deinde linteis in vehiculo, cum domum iam revertendum erat, Nausicaa Athena incitante unam ex ancillis pila icere cupiens ictum vitiavit pilamque in aquam profundam iecit. Magnus inde clamor ortus est inter puellas, quo clamore excitatus est Ulixes naufragio novissimo exhaustus et in silva adiacente dormiens. Dum ancillae Ulixe prodeunte diffugiunt, Nausicaa sola, Athena animum addente, suo loco mansit, ut sciscitaretur ex Ulixe, quis esset quove modo in eam regionem venisset. Explicatis rebus, postquam Ulixes Nausicaae iussu ab ancillis oleum, quo ungueretur, et vestes, quibus tegeretur, accepit suaque membra in fluvio abluit, tamquam deo similis regis filiae tantopere placuit, ut haec matrimonium eius exoptaret. Tamen Nausicaa, ne malos rumores civium in se traheret, sola domum reverti constituit, Ulixem autem spatio quodam interiecto in aedes parentum sequi iussit. Haec fere leguntur apud Homerum. Videamus nunc, quemadmodum Homeri narratio Sophocli usui esse potuerit.

Tribus fragmentis, quae sola ex tota fabula nobis tradita sunt, Nausicaam lintea aliasque vestes ad fluvium vehentem in Sophoclis fabula propositam esse facile evinci potest. Memoratur enim λαμπήνη (fr. 111 St.), quae Hesychio explicante εἶδος ἁμάξης περιφανοῦς βασιλικῆς fuit. Vestes autem et lintea nominantur in fr. 109 St.: πέπλους τε νῆσαι λινογενεῖς τ' ἐπενδύτας. His igitur in rebus Sophoclem Homeri vestigia in universum pressisse pro certo haberi potest. Fr. 110 St. (ὄχημά μοι ἐπᾶραν ἡσύχως ἀναρροιβδεῖ πάλιν) ad Ulixis narrationem pertinere cognovit iam R. Reitzenstein,

qua heros miserias suas marinas descripsisset[15]. De his miseriis Ulixem Nausicaae eo temporis momento rettulisse suspicari licet, cum primum cum puella congressus est. Quae Athenaeus et Eustathius de elegantissimo Sophoclis pilae lusu tradunt, eo magis nos confirmant Sophoclem Homeri imitatorem exstitisse. Etenim Homerus quoque puellarum lusum memorat Nausicaaeque ludentis praestantiam hisce verbis celebrat (*Odyss.* VI. 100—109):

σφαίρῃ ταὶ δ' ἄρ' ἔπαιζον ἀπὸ κρήδεμνα βαλοῦσαι·
τῇσι δὲ Ναυσικάα λευκώλενος ἦρχετο μολπῆς.
οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεα ἰοχέαιρα,
ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἢ Ἐρύμανθον,
τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισιν·
τῇ δέ θ' ἅμα νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ·
πασάων δ' ὑπὲρ ἥ γε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
ῥεῖα τ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι.
ὡς ἥ γ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε πάρθενος ἁδμής.

Et cum linteis lavatis siccatisque omnia iam in eo essent, ut domum rediretur, Nausicaa Athena incitante pilam in ancillam icere cupiens ictum vitiavit pilamque in aquam profundam coniecit. Magnus inde clamor inter puellas exortus est, quo experrectus est Ulixes in silva adiacente dormiens. Homeri verba, quae Sophoclem fabulam suam scribentem imprimis memoria tenuisse censeo, haec sunt (*Odyss.* VI 115—117):

σφαῖραν ἔπειτ' ἔρριψε μετ' ἀμφίπολον βασίλεια·
ἀμφιπόλου δ' ἥμαρτε, βαθείῃ δ' ἔμβαλε δίνῃ·
αἱ δ' ἐπὶ μακρὸν ἄυσαν· ὃ δ' ἔγρετο δῖος Ὀδυσσεύς.

Res ab Homero enarratas Sophocles ad suam actionem ita accommodasse videtur, ut nihil immutaret, nisi quod dramatis satyrici condicio postulabat. Nausicaam pilam iacientem ita finxisse videtur, ut pila non in aquam profundam, ut vult Homerus, sed in satyrum dormientem ceciderit. Cum de satyro dico, cuius mentionem in fragmentis ex Sophoclis fabula depromptis non habemus,

[15] R. Reitzenstein, *Der Anfang des Lexikons des Photios*, p. XIII.

ad Aeschyli *Amymonae* argumentum revoco, qua in fabula Apollodoro testificante simillima arte satyrus excitatus est atque apud Homerum Ulixes. Illum quidem tetigit telum vitiatum: Ἀμυμώνη ζητοῦσα ὕδωρ ῥίπτει βέλος ἐπὶ ἔλαφον καὶ κοιμωμένου σατύρου τυγχάνει, hunc autem pila deerrans: σφαῖραν ἔπειτ' ἔρριψε μετ' ἀμφιπόλου βασίλεια, ἀμφιπόλου δ' ἥμαρτε, βαθείῃ δ' ἔμβαλε δίνῃ. αἱ δ' ἔπι μακρὸν ἄυσαν. ὁ δ' ἔγρετο δῖος Ὀδυσσεύς. Utut res se habuit, in Sophoclis fabula satyrica Ulixem primum non prodisse, sed satyrum aut clamore puellarum aut pilae aberrantis ictu experrectum esse existimo. Cum ancillae perterritae diffugissent, Nausicaam solam satyri libidini expositam auxilium clamare coepisse veri est simillimum, quo clamore allectus sit Ulixes Nausicaam a satyro instante liberaturus. Ut rem ita explicem, eodem Aeschyli *Amymonae* argumento ducor, ex quo Apollodorus haec affert: κἀκεῖνος (sc. ὁ σάτυρος) περιαναστὰς ἐπεθύμει συγγενέσθαι. Ποσειδῶνος δὲ ἐπιφανέντος ὁ σάτυρος μὲν ἔφυγεν, Ἀμυμώνῃ δὲ τούτῳ συνευνάζεται. Neque tamen a Sophocle actionem ita provectam esse censeo, ut Nausicaa ab Ulixe liberatore, sicut Amymona a Neptuno, comprimeretur. Imo elegantiorem eum quam Aeschylum fabulae exitum dedisse arbitror. Ex Homeri narratione (*Odyss.* VI 25 sqq.) Nausicaam somniantem ab Athena proximarum nuptiarum commonefactam esse comperimus:

> Ναυσικάα, τί νύ σ' ὧδε μεθήμονα γείνατο μήτηρ;
> εἵματα μέν τοι κεῖται ἀκήδεα σιγαλόεντα,
> σοὶ δὲ γάμος σχεδόν ἐστιν, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν
> ἔννυσθαι, τὰ δὲ τοῖσι παρασχεῖν, οἵ κέ σ' ἄγωνται·
> ἐκ γάρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει
> ἐσθλή, χαίρουσιν δὲ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ.
> ἀλλ' ἴομεν πλυνέουσαι ἅμ' ἠοῖ φαινομένῃφιν·
> καί τοι ἐγὼ συνέριθος ἅμ' ἕψομαι, ὄφρα τάχιστα
> ἐντύνεαι, ἐπεὶ οὔ τοι ἔτι δὴν πάρθενος ἔσσεαι.
> ἤδη γάρ σε μνῶνται ἀριστῆες κατὰ δῆμον
> πάντων Φαιήκων, ὅθι τοι γένος ἐστὶ καὶ αὐτῇ.

Sed hanc commonitionem, quod valde mirum esse videtur, nulla apud Homerum sequitur nuptiarum descriptio. Imo Nausicaa cognito Ulixe non secus agit, ac si neminem haberet, cui nuptura esset. Nam postquam Ulixem ablutum vesteque ornatum aspexit, tanta viri affectione capta est, ut ancillis professa sit neminem sc

tantopere in matrimonium exoptare, quantopere Ulixem (*Odyss.* VI 239 sqq.):

κλῦτε μευ, ἀμφίπολοι λευκώλενοι, ὄφρα τι εἴπω·
οὐ πάντων ἀέκητι θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
Φαιήκεσσ' ὅδ' ἀνὴρ ἐπιμίσγεται ἀντιθέοισιν.
πρόσθεν μὲν γὰρ δή μοι ἀεικέλιος δέατ' εἶναι,
νῦν δὲ θεοῖσιν ἔοικε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.
αἲ γὰρ ἐμοὶ τοιόσδε πόσις κεκλημένος εἴη
ἐνθάδε ναιετάων, καὶ οἱ ἄδοι αὐτόθι μίμνειν.

Quam Homeri insufficientiam a Sophocle ita expletam esse censeo, ut Nausicaa matrimonium ab Ulixe propositum acciperet. Si rebus ita se habuit, fabula invitatione ad nuptias celebrandas ad finem perducta est. Eundem fabulae satyricae finem in Aeschyli *Dictyulcis* novissime cognovimus[16]. Etiam hac in fabula nuptias Dictyos et Danaae non traditione probatas, sed a poeta inventas esse constat.

Explicatis omnibus rebus, quae explicari posse videbantur, restat, ut brevissimis verbis Sophocleae fabulae argumentum recolligamus, quod hoc fere fuerit: Nausicaa ancillis comitata vestes et lintea lavanda ad fluvium pervexit. Quibus lavatis puellae cibo potuque recreatae pila ludebant. Inter hunc ludum Nausicaa unam ex ancillis pila icere cupiens ictum vitiavit pilamque aut in aquam profundam aut in satyrum dormientem coniecit. Satyrus aut puellarum clamore aut, quod veri est similius, pilae ictu experrectus Nausicaae, dum ceterae puellae diffugiunt, instare coepit. Cuius clamore excitatus Ulixes satyrum libidinosum reppulit puellamque periculo liberavit. Nausicaa tanta viri pulcherrimi affectione capta est, ut matrimonium ab eo propositum non abnueret. Tum omnes in scaena praesentes invitati abierunt, ut nuptias celebrarent. Hic fuit fabulae exitus.

Wratislaviae

[16] Cf. V. Steffen, *The Not-haulers of Aeschylus*, The Journal of Juristic Papyrology, III 1949, p. 119 sqq.

DE NOVO HYPERIDIS FRAGMENTO NILI SCHOLIIS HERMOGENIANIS (PAR. GR. SUPPL. 670) INSERTO

Scripsit

BRONISLAUS BILIŃSKI

Novo Hyperidis fragmento ex confusis Hermogenis commentatorum scholiis eruto operam daturus temperare mihi non possum, quominus a Georgii Kowalski recordatione, magistri ac praeceptoris mei illustrissimi, cuius praematurum obitum tam gravi luctu et maerore dolemus, commentationis meae initium faciam. Omne fere vitae suae spatium in studiis rhetoricis ille vir doctissimus consumpsit, quia non solum artis oratoriae origines excellentissimis disputationibus illustravit[1], sed etiam, ut philologiae nostrae singularem laudem ac gloriam impertiret, ad Hermogenem eiusque scholiastas se convertit et plurimos eorum codices in diversis bibliothecis asservatos, cum scholia adhuc inedita vel prorsus ignota huic rhetori explicando destinata in lucem promere statuisset, diligentissime rimatus est. Itaque inde ab a. 1936 usque ad vitae suae exitum (22. I. 1948) cotidiano assiduoque labore ne belli quidem horroribus deterritus Hermogenianis strenue operam navavit. Parisinos codices manuscriptos ipse sollerti cura perlustravit. Ego autem in Italica peregrinatione a. 1938—39 facta codices Vaticanos Romae, Borbonicos Neapoli, Messanenses Messinae, Lucchesianos Agrigenti, Laurentianos Florentiae scrutatus scholia, saepissime marginibus adiecta, contuli ac descripsi et commentariorum nondum editorum imagines solis ope depictas congessi plurimas, quae ei iam in commentario codicis Vaticani gr. 107 edendo[2] haud parvo erant adiumento. Operi tam immenso accinctus Kowalski sodalicium quoddam, ut ita dicam, Hermogenianum circa se congregavit omnibusque eius participibus, quos semper consilio et opere adiuvabat, diversas quaestiones ad Hermogenem spectantes, quibus studerent et novos codices, quos legerent, assignavit. Post cruentas belli calamitates Wratisla-

[1] G. Kowalski, *De artis rhetoricae originibus quaestiones selectae*, Archiwum Towarzystwa Naukowego we Lwowie, Dział I, tom V 2, Leopoli 1933; *De arte rhetorica I.* Acta Seminarii Philologici II Universitatis Ioan.-Casim. fasc. 3—4, Leopoli 1937.

[2] *Commentarium Codicis Vaticani Gr. 107 in Hermogenis* περὶ στάσεων *et* περὶ εὑρέσεως *cum scholiis minoribus in praeter Praeexercitamenta opera omnia.* Acta Semin. Philol. II Univ. Ioan.-Casim. fasc. 5—7, Leopoli 1939.

viae, in semidiruta urbe, denuo Hermogeniana studia tam naviter fovit, ut *Statuum* editionem criticam iam a. 1947 foras ederet[3], in qua praeter plurimos codices primum ab eo in usum vocatos etiam Hermogenis memoriam apud scholiastas servatam et maxima ex parte in libris manuscriptis adhuc latentem diligenter excussit, ut his adminiculis nisus textus Hermogeniani recensionem emendatissimam omnibusque numeris absolutam traderet.

Permulta tamen lugubri morte ereptus inedita reliquit. Praeter eius copias rhetoricas etiam illius familiae Hermogenianae belli cladibus dispersae et nunc iniquis fatis gubernatore orbatae nonnulla restant scripta, quae prelo ut mandentur digna esse videntur. Itaque Societatis Scientiarum et Litterarum Wratislaviensis, quae novae *Statuum* recensioni iam favit, curis ex huius officinae Hermogenianae scriniis nunc *Analecta Hermogeniana* eduntur, in quibus *Commentarium codicis Vaticani-Palatini Gr. 113 in Hermogenis status* ab ipso Georgio Kowalski editioni paratum et Venceslaae Borzemska-Leśnikowska, Hermogeniani circuli sodalis, commentatio *De Anonymo Hermogenis statuum interprete* (*Rh. Gr. VII 320—397 W.*) *cum Nilo* (*Par. Gr. suppl. 670 ff. 1—36 r*) *comparato*[4] publici iuris fiunt.

Cum plagulis corrigendis occupatus in commentatione, qua Anonymus cum Nilo comparatur, illud fragmentum Hyperidis novum in scholiis Nili exaratum et iam ab Georgio Kowalski detectum atque inter amicos pronuntiatum, omni explicatione et locis parallelis omnino privatum invenissem, hoc frustulum orationis Hyperideae, ne novum oratoris Attici fragmentum ineptorum nonnumquam scholiastarum commentationibus nugatoriis obrutum periret, accuratiori examini subdere et separata observatione illustrare statui.

Historia litterarum Graecarum novis papyraceis speciminibus iterum atque iterum abunde ditata satis raro accidit, ut ex libris manuscriptis, sagacissimis tot virorum doctorum ingeniis perquisitis, nova quaedam litterarum exempla compareant. Sed nondum exhaustae iacent bibliothecarum divitiae, quia in codicibus levioris pretii, scholiis vel lexicis anonymis expletis, hic illic pretiosissimae margaritae reperiuntur, quibus investigantes iucunde monentur, quo accuratiorem in tanta codicum mole perscrutanda curam adhibeant. Non est quod repetam, quantum rhetoribus ipsis et eorum

[3] *Hermogenes, de statibus, edidit Georgius Kowalski*, Travaux de la Société des Sciences et des Lettres de Wrocław, Ser. A Nr. 1, Wratislaviae 1947.

[4] In eiusdem codicis folia 36 v—65 r iam L. Rychlewska observationes criticas attulit, Eos XLI 1940—46, I 1 p. 173—184; XLII 1947, 1 p. 195—211.

commentatoribus debeamus, cum plurimos tragicorum vel comicorum poetarum versus nec non diversa oratorum fragmenta ex huius generis scriptis nobis innotuisse constet. Nunc denuo in scholiis Nilo auctore *statibus* Hermogenis adiectis et in codice Parisino Graeco suppl. 670 (s. XI) servatis novum Hyperidis fragmentum nobis ministratur, quo cognito non solum eximii oratoris memoria amplificatur, sed etiam ipsius orationis argumentum, ex quo fragmentum sumitur, nova luce aspergi videtur. Foliis enim huius codicis 6 v — 7 r recapitulationum in epilogis adhibitarum varia genera enumerantur[5] et, dum a Nilo diversa earum exempla afferuntur, inter fragmenta ex Demosthenis oratione (XIX) delibata folio 7 r etiam Hyperidis fragmentum adhuc, quod sciam, ignotum ex oratione in Demadem habita depromptum laudatur. Eorum, quae ad recapitulationum a Nilo expositam spectant doctrinam, similia apud Anonymum (*Rh. Gr.* VII 1 p. 329 sq.) inveniuntur, quo tamen Nili commentarium uberiora praebet, quia inde ab p. 334, 15 post verbum ἠδίκησε plura a Nilo adiciuntur, quae apud Anonymum desiderantur. Cum Nili commentarium adhuc in libris manuscriptis lateat[6], opportunum mihi videtur, ut tabula codicis phototypica adiutus hanc novam commentarii partem ante oculos subiciam, quo facilius contextus, cui Hyperidis fragmentum inseritur, perspiciatur: fol. 6 v ἠδίκησε· καὶ γὰρ παρατίθησι τὸν Αἰσχίνην εὐφυῶς πρὸς Ἐπικράτην, οὗ θάνατον κατεπιχειροτόνησεν ὁ δῆμος καὶ φησί, ὅτι παρὰ τὰ γραφέντα ἐπρέσβευσεν Ἐπικράτης καὶ ἐτελεύτησεν. ἀλλὰ καὶ Αἰσχίνης παρὰ τὰ γεγραμμένα ἐπρέσβευσεν. Ἐπικράτης ἰδίᾳ τοῖς ἐναντίοις διείλεκται· ἀλλὰ καὶ Αἰσχίνης. καὶ οὕτως κατὰ ἀντιπαράθεσιν τὰ ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἐπαναλαμβάνει δεικνύς, ὅτι ὤφειλε παθεῖν ἃ πέπονθεν Ἐπικράτης. οὕτω γοῦν ἐπ' αὐτῆς ἔφη τῆς λέξεως· „εἰ τοίνυν τούτων τι ἄπρακτόν ἐστιν... οὗτοι δὲ οὐ παρὰ τὰ γράμματα (Dem. XIX 278) καὶ ἑξῆς οὕτω πρόεισι τῷ κατὰ σύγκρισιν πάντα ἀνακεφαλαιούμενος ἢ τῷ κατὰ συγχώρησιν ἢ καὶ ἀναίρεσιν καὶ διορισμόν, περὶ ὧν ἡ κρίσις· ὅταν τῶν ἐναντίων ἐφ' ἕτερα μεθελκόντων ἡμᾶς αὐτοὶ περὶ ἐκείνων μὲν συγχωρῶμεν καὶ μηδένα ποιώμεθα λόγον, τὴν δὲ κατηγορίαν ἀναλαμβάνωμεν περὶ τοῦ καὶ τοῦ φάσκοντες κατηγορηκέναι· ἐνταῦθα γὰρ

---

[5] R. Volkmann, *Die Rhetorik der Griechen und Römer*, Lipsiae 1885 p. 263 sqq.

[6] St. Gloeckner, *Quaestiones rhetoricae, historiae artis rhetoricae qualis fuerit aevo imperatorio capita selecta*, Bresl. philol. Abhandl. VIII 2, 1901 p. 3 sq.; cf. *Hermogenis opera* ed. H. Rabe, Lipsiae 1913 p. XX; Io. Graeven, Hermes 1895 p. 290.

ἐπιτηδειότατον ἔχει καιρὸν ἡ ἀνακεφαλαίωσις διοριζομένων ἡμῶν τὰ κεφάλαια, ἐφ' οἷς τὴν κατηγορίαν πεποιήμεθα. οὕτω Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τῆς παραπρεσβείας... „ἐγὼ γὰρ οὐδενὸς αὐτὸν αἰτιῶμαι... ἀλλ' ἄχρι τούτου πάντα ἀφίημι (Dem. XIX 333). τοῦτο μὲν ἡ συγχώρησις, τὸν δὲ διορισμὸν τῶν Αἰσχίνου κατηγορημάτων εὐθὺς ἐπάγει· „τί οὖν λέγω καὶ πόθεν ἄρχομαι... καὶ τοῦ δῶρα εἰληφέναι μετὰ ταῦτα (Dem. XIX 333) καὶ τὰ ἑξῆς. οὐ μόνα δὲ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ τῷ κατὰ πλάσμα, ὡς ἐποίησεν Ὑπερείδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου· ἀναπλάττεται γὰρ τὸ πρόσωπον τοῦ Δημάδου μὴ βουλομένου ἐξ αἰσχύνης λέγειν καὶ φησὶν οὕτως· „εἴ τις ἔροιτο Δημάδην· 'διὰ τί ἔγραψας στεφανωθῆναι Εὐθυκράτην τὸν Ὀλύνθιον;' λέξει ὅτι προδότην κατὰ Φιλίππου πράττων." καὶ πάντα, ἃ εἶπεν ἐν τοῖς ἀγῶσιν, ἀνακεφαλαιοῦται. οὐ μόνα δὲ ταῦτά ἐστι τὰ σχήματα, οἷς δεῖ χρῆσθαι ἀνακεφαλαιουμένους, ἀλλὰ καὶ ἕτερα πολλά. Quin in extrema commentarii parte novum fragmentum ex Hyperidis deperdita oratione, qua Demades impugnabatur, haustum legamus, nullus dubitationi relinquitur locus. Cuius autem orationis exigua fragmenta post Blassii editionem apud Jensenum[7] et Kenyonem[8] collecta si inspexerimus, facile fragmentum 76, in quo eiusdem orationis recapitulatio accuratius enarratur, proxime ad nostrum accedere cognoscemus. Iam ex eo palam fieri censeo hunc Hyperidis epilogum saepius in scholiis rhetoricis tractatum esse, quod etiam duobus insuper exemplis ex Hermogenis commentatoribus delibatis optime confirmatur. Ex quibus cum apud Hyperidis editores, quos supra nominavi, adhuc Georgii Moni testimonium desideretur, non alienum putavi haec fragmenta in scholiis tradita 76 fragmento adiecto iterum describere et cum nostro frustulo comparare. Initium ab illo notissimo fragmento 76 capiendum opinor quod Apsinis *arti rhetoricae* immixtum c. 12 p. 303, 8 sq. S.-H. = Rh. Gr. IX 547 W. inter huius orationis fragmenta primum obtinet locum: ἔτι δὲ ἀναμνήσομεν διὰ ψηφίσματος εἰσφορᾶς, ὡς ὁ Ὑπερείδης ψηφίσματος κατηγορῶν ὑπὸ Δημάδου γραφέντος, πρόξενον Εὐθυκράτην εἶναι γράψαντος, αὐτοῦ εἰσφέρει ψήφισμα, δι' οὗ ποιεῖται τὴν ἀνακεφαλαίωσιν τῶν εἰρημένων· „ἃ μὲν γὰρ οὗτος" φησίν „εἰσκεκόμικεν, οὐκ ἔχει τὰς ἀληθεῖς αἰ-

[7] *Hyperidis orationes...* post Fr. Blassium... ed. Chr. Jensen[3], Lipsiae 1917, fr. 76 sqq. p. 127 sq; cf. Thalheim, BphW 1918 col. 288 sq.

[8] *Hyperidis orationes et fragmenta* recogn. brevi adnot. crit. instr. F. G. Kenyon, Oxonii 1906, fr. 76 sq. Novissimam Hyperidis editionem: *Hyperidis, Discours*, ed. et trad. G. Colin, Coll. G. Budé, Paris 1946, penuria librorum impeditus inspicere non potui.

τιας τῆς προξενίας. ἐγὼ δέ, εἰ δεῖ πρόξενον ὑμῖν αὐτὸν γενέσθαι, δι' ἃ τούτου τεύξεται γράψας εἰσφέρω." ἔπειτα τὸ ψήφισμα εἰσφέρει· δεδόχθαι γάρ φησιν αὐτὸν εἶναι πρόξενον, ὅτι τὰ Φιλίππῳ συμφέροντα καὶ λέγει καὶ ποιεῖ. ὅτι γενόμενος ἱππαρχος τοὺς Ὀλυνθίων ἱππέας προὔδωκε Φιλίππῳ. ὅτι τοῦτο πράξας αἴτιος τοῦ Χαλκιδέων ὑπῆρξεν ὀλέθρου, ὅτι ἁλούσης Ὀλύνθου τιμητὴς ἐγένετο τῶν αἰχμαλώτων, ὅτι ἀντέπραξε τῇ πόλει περὶ ἱεροῦ τοῦ Δηλίων, ὅτι τῆς πόλεως περὶ Χαιρώνειαν ἡττηθείσης οὔτε ἔθαψε τῶν τεθνεώτων τινὰς οὔτε τῶν ἁλόντων οὐδένα ἐλύσατο. διὰ τούτων κεφαλαιωδῶς ἀναμιμνήσκει τῶν παρ' ὅλην τὴν κατηγορίαν εἰρημένων κατ' αὐτοῦ. Similia apud Georgium Monum, item Hermogenis commentatorem, in codice Parisino Graeco 2919 fol. 70 reperiuntur, quae Schillingii[9] curis descripta nunc in eius *Quaestionibus rhetoricis selectis*, Lipsiae 1903, p. 687—8 (Jahrb. f. class. Philol. Suppl. 28) leguntur: fol. 70 v. 31 πολλαὶ μὲν οὖν εἰσι καὶ διάφοροι τῶν ἀνακεφαλαιώσεων μέθοδοι, ἃς ῥᾴδιον καταμαθεῖν τοῖς ἐντυγχάνουσι ῥητόρων λόγοις. ὅμως ὧν γε οἱ τεχνικοὶ ἐμνήσθησαν πέντε εἰσίν· καὶ ἔστι πρῶτον τὸ κατὰ πλάσμα γινόμενον σχῆμα, ᾧτινι καὶ Ὑπερίδης ἐχρήσατο ἐν τῷ κατὰ Δημάδου λόγῳ. βουλόμενος γὰρ τὰ λεχθέντα ἀνακεφαλαιώσασθαι ἐπλάσατο ψήφισμα λέγων· εἰ τἀληθῆ Δημάδης ἐβούλετο περὶ Εὐθυκράτους εἰπεῖν, τοιοῦτον αὐτὸν ἔδει ψήφισμα γράψαι. οὕτω γοῦν φησιν ἐπὶ λέξεως Ὑπερίδης· „ἐπειδὴ δὲ οὗτος οὐκ εἶχεν ἐν τῷ ψηφίσματι πρόφασιν[10] γράψαι, δι' ἣν Εὐθυκράτην πρόξενον ἐποίησεν, ἐγὼ τὰ πεπραγμένα αὐτῷ, ἐπιγράψας τὸ τούτου ὄνομα ἀναγνώσομαι." καὶ πλάττεται τοιοῦτον ψήφισμα „Δημάδης Δημέου[11] Παιανιεὺς εἶπεν· ἐπειδὴ Εὐθυκράτης προὔδωκε τὴν αὐτοῦ πατρίδα Ὄλυνθον καὶ αἴτιος ἐγένετο τὰς πόλεις τὰς Χαλκιδέων οὔσας τετταράκοντα ἀναστάτους γενέσθαι" καὶ τὰ ἑξῆς. διὰ γοῦν τοῦ πεπλασμένου ψηφίσματος ἁπάντων ἡμᾶς τῶν προειρημένων ὡς ἐν κεφαλαίῳ ὑπέμνησεν.

Tertiam denique eiusdem fragmenti mentionem iterum Hermogenis interpreti Ioanni Diacono debemus, quam ex codice Vaticano Graeco 2228 (Vδ) Hugo Rabe publici iuris fecit: *Aus Rhetoren-Handschriften. 5. Des Diakonen und Logotheten Johannes Kommentar zu Hermogenes* περὶ μεθόδου δεινότητος, Rhein. Mus. 1908 p. 144 fol. 481 v. Ne tamen longus fiam hoc solum animadvertendum duco Vaticanam huius fragmenti versionem a Rabio suppeditatam ad

[9] Thalheim, RE IX col. 283 s. v. *Hypereides*; Christ-Schmid, *Gesch. d. gr. Litteratur* I p. 614.

[10] εἶχεν ἐν ᾧ ἔγραψεν ψηφίσματι πρόφασιν cod. P, corr. Keil.

[11] Δημάδου cod. P, corr. Keil.

verbum cum Georgio codicis Parisini Graeci 2919 congruere, cum praeter minutissimam varietatem lectionis haplographiae[12] solum mendo nonnulla excidisse videantur.

His prolatis diligentius novum Hyperidis textum intueamur, ut sensu eius perspecto, quae ratio inter hoc frustulum et illa antea nota Hyperidis fragmenta intercedat, sententiam feramus quatenusque nostra de Hyperide eiusque temporibus notitia nova luce allata augeri possit apertius intellegamus. De Hyperideae orationis argumento, qua Demadis splendidi ac faceti oratoris rogatio, ut Euthycrates Philippi assecla et Olynthiorum proditor ignominia apud Athenienses notatus[13] non solum in integrum restitueretur, sed etiam proxeniae honore ornaretur, a Hyperide debellatur[14], iam alii orationis fragmentis et Suidae s. v. Δημάδης testimonio nisi sagacissime viderunt et rem dilucide illustraverunt[15]. Haec omnia Euthycratis facinora vel uberrime in orationis nostrae epilogo, quae recapitulationis modo fit, enumerantur, dum Hyperides fr. 76 ficti decreti figura usus[16] (σχῆμα κατὰ πλάσμα) illa Euthycratis erga Philippum merita et in Athenienses proditiones recenset. Etiam novum Hyperidis fragmentum, quod aliquatenus breviatum et quodammodo succincte expressum esse videtur, in fictione quadam versatur. Quin ex eodem ac fr. 76 epilogo, ficti decreti rogatione expleto, illud fragmentum derivandum sit non potest dubitari. Diversa tamen et nova a Nilo afferuntur, quia praeter ficti plebisciti mentionem ipsius Demadis pudore affecti personam, ut rogationis suae causas ac rationes, qua Euthycrati coronam tribuendam esse proposuisset, redderet a Hyperide fictione provocatam esse cognoscimus: ἀναπλάττεται γὰρ τὸ πρόσωπον τοῦ Δημάδου μὴ βουλομένου ἐξ αἰσχύνης λέγειν καὶ

[12] Hoc solum fragmentum, quod lacunis laborat, Georgii Moni testimonio omisso apud Jensenum descriptum esse valde miror, cum Schillingii *Quaestiones rhetoricae* iam a. 1903 apparuerint.

[13] Kirchner, RE VI col. 1507 s. v. *Euthycrates*; A. Schäfer, *Demosthenes und seine Zeit*, Lipsiae 1886, II p. 152, 156.

[14] Fr. Blass, *Die attische Beredsamkeit*, III 2², Lipsiae 1898, p. 10, 60 sq.; Thalheim, RE IX col. 283 s. v. *Hypereides*; Christ-Schmid, *Gesch. d. gr. Litteratur* I p. 621; Th. Sinko, *Literatura grecka* I 2, Kraków 1932, p. 726.

[15] Kirchner, *Prosopographia Attica* p. 214; Thalheim, RE IV col. 2703 s. v. *Demades*; Blass l. l. p. 266 sq.; Schäfer, *Demosthenes und seine Zeit* III p. 76 sq.

[16] Hanc recapitulationem in fictis positam Hyperidis propriam fuisse Marcellinus *Rh. Gr.* IV 425, 3 K. testatur: διάφοροι δὲ αἱ τῶν ἀνακεφαλαιώσεων μέθοδοι παρὰ τοῖς ἀρχαίοις· καὶ γὰρ ἡ ἀπὸ τοῦ πλάσματος κέχρηνται, ὡς Ὑπερίδης· βουλόμενος γὰρ τὰ λεχθέντα ἀνακεφαλαιώσασθαι ἐν πλάσματι εἰσήγαγεν; cf. Apsines *a. rh.* 12, p. 297, Blass l. l. p. 59.

φησὶν οὕτως· „εἴ τις ἔροιτο Δημάδην· 'διὰ τί ἔγραψας στεφανωθῆναι[17] Εὐθυκράτην τὸν 'Ολύνθιον;' λέξει ὅτι προδότην κατὰ Φιλίππου πράττων. Ipsa igitur Demadis persona comparet ita ut prosopopoeiae cuiusdam generis species efficiatur et fictis verbis ethopoeiae quadamtenus figura introducatur[18], quod artis rhetoricae splendidum ornamentum ex alia quoque Hyperidis oratione *pro Lyc.* 16 haustum ab eodem Apsine c. 12 p. 301, 10 laudatur. Etiam nova Demadis prosopopoeia ab Hyperide in epilogo adhibita minime offendimur, quia hoc modo recapitulandi causa orationes concludere solitos esse rhetores item ex Apsinis *arte rhetorica* 12 p. 299 comperimus: ἀναμνήσομεν δὲ καὶ διὰ προσωποποιΐας...

Ipsius tamen fragmenti argumentum haud paucis explicationibus indiget, dum et nova quaedam afferuntur et textus primo aspectu fortasse a scholiasta parum accurate redditus laborare videtur. Primum de corona Euthycrati a Demade oblata verba fiunt, quamquam in aliis testimoniis de eius proxenia solum legitur. Quam tamen argumenti discrepantiam non est quod premamus, quia proxeniae honori saepissime alia quoque privilegia peregrino tribuere veteres Graecos consuevisse multis documentis evincitur[19]. Solitis vero proxeniae honoribus coronam quoque haud raro additam esse item luculenter inscriptionibus edocemur[20]. Quae cum ita sint novo Hyperidis fragmento accuratius perpenso in Demadis causa altius cognoscenda nova notitia supplemur, qua Demadem, ut Euthycrates corona quoque ornaretur, rogavisse certiores fimus.

Multo obscuriora sunt ea, in quibus Demadis responsum a Hyperide fingitur: λέξει ὅτι προδότην κατὰ Φιλίππου πράττων. Praeter perplexam quodammodo verborum constructionem etiam res ipsa

[17] Cum his velim Demosthenis locum conferas: *de cor.* 325 εἶτά με ἐρωτᾷς. ἀντὶ ποίας ἀρετῆς ἀξιῶ στεφανοῦσθαι, cf. Anon. VII 1 p. 334, 10, Plan. V p. 286, 12.

[18] Io. Chr. Ernesti, *Lexicon technologiae Graecorum rhetoricae*, Lipsiae 1795, s. v. ἠθοποιΐα, προσωποποιΐα.

[19] P. Monceaux, D.-S., Dictionnaire des antiquités grecquès et romaines IV p. 737 s. v. *proxénie* (cf. eiusdem, *Les proxénies grecques*, Paris 1885); G. Schmitthenner, *De coronarum apud Athenienses honoribus*, diss. Berol. 1891; A. Dittmar, *De Atheniensium more exteros coronis publice ornandi*, Leipz. Stud. 1890 p. 63—249; cf. Busolt-Swoboda, *Griechische Staatskunde*, München 1920—1926 p. 954, 1246; W. Larfeld, *Griechische Epigraphik*, München 1914 p. 382 sq.

[20] Ex Dittenbergeri *Sylloge Inscriptionum Graecarum*[3], Lipsiae 1917, has enotavi inscriptiones, in quibus proxeniae corona quoque adnectitur: 193, 282,5. 304,15. 327. 412. 426. 562,60. 580,8. 587. 617. 645,70. 715. 734. 761,15. 795 A.

parum perspicitur. Cum tamen fragmentum illud in transcursu solum breviter perstringam et variis tam rerum quam verborum obscuris quominus argumentum eius in apertum educam, impediar, animadversiones tantum quasdam et interpretationum specimina quaedam afferam. Propositum enim coniunctione ὅτι introductum cum participio conectitur ita, ut hoc quoque loco solito more, cum ex obliqua, quae vocatur, oratione in rectam argumentationis cursus mutatur, coniunctionem ὅτι interpunctionis solum vicibus fungi necesse sit statuamus et in proposito προδότην κατὰ Φιλίππου πράττων[21] Hyperidis verba Demadis personae oratione effictae tributa accipiamus. Textu tamen ratione paleographica diligentius examinato ὅτι potius coniunctionis loco retinere placet et textum paulo immutare, ut legatur: ὅτι προδότη‹ς ἦ›ν κατὰ Φιλίππου πράττων, praesertim cum substantivi προδότην exitum -ην in rasura scriptum esse ex tabula phototypica plane pateat. Hic denuo argumenti sensum demiramur, quod e contrario Euthycratem Philippo Macedonibusque faventem Athenienses et Olynthios prodidisse aliis testimoniis dilucide tradi iam supra dixi. Genuinam tamen esse codicis lectionem si credimus, ex oratoris artificiis illam subobscuram sententiam explicandam esse opinor. Hyperidem enim cavillantem suspicor: cum Demadem rogationis suae rationes evolventem introduxisset, eum per ludibrium, quo facilius Atheniensibus persuaderet, falso argumentantem Philippum Atheniensibus invisum ab Euthycrate proditum esse effinxisse puto. Utrum haec fuerint Demadis in rogatione ferenda vera argumenta an Hyperidis solum acumini atque ingenio sint tribuenda non expedio, quamquam ea potius Hyperideae cavillationi adscripserim. Explicationem tamen, quam proposui, quo firmiore fulcro muniam, fragmentum 76 et Georgii Moni verba in memoriam revoco, in quibus Demades a Hyperide aperte impugnatur, quod iustas ac veras proxeniae causas afferre non potuerit: fr. 76... ἃ μὲν γὰρ οὗτος (Demades) εἰσκεκόμικεν, οὐκ ἔχει τὰς ἀληθεῖς αἰτίας τῆς προξενίας... Georg. Mon. (Schilling, *Quaest. rhet.* 687): ἐπειδὴ δὲ οὗτος οὐκ εἶχεν ἐν τῷ ψηφίσματι πρόφασιν γράψαι, δι' ἣν Εὐθυκράτην πρόξενον ἐποίησεν... Et in rerum veritate Demadis sententiam apud Hyperidem prolatam falsam esse ex omnibus indiciis facile perspicitur, cum Euthy-

[21] Verbo πράττω adhibito, quod decretorum sermonis proprium fuisse ex Dittenbergeri indicibus IV p. 524 patet, Hyperidem verba Demadis ad exemplar verae rogationis conformasse ultro elucet.

cratem Atheniensium proditorem fuisse constet. Quamquam hanc interpretationem fusius tractavi tamen parum mihi persuadeo rem iam satis probabili ratione enucleatam esse.

Alteram igitur explicationem adicere non moror, quia proposito subtilius excusso etiam de admodum raro praepositionis κατά usu cum genetivo coniunctae, dum *quod ad aliquid spectat* significat, cogitari potest[22]. Tali hoc loco praepositionis usu comprobato diversas proditiones Philippi ratione habita vel ad eius voluntatem ab Euthycrate perpetratas esse Demadem demonstrasse oportet intelligamus.

Praeter hanc tertia quoque vel optima coniectura in mente obversatur, si iterum textum corrigamus, ut praepositioni κατά solitus accusativus casus adiungatur, qui vel ex Φιλίππου, cum Φίλιππον legamus, recuperandus est vel supplenda sunt κατὰ ⟨τὰ⟩ Φιλίππου, ut pleniorem ac magis perspicuum sensum adipiscamur (cf. fr. 76... ὅτι τὰ Φιλίππῳ συμφέροντα καὶ λέγει καὶ ποιεῖ...).

Si tandem vulgatam opinionem sequi iuvat, qua Euthycrates Philippi fautor atque assecla declaratur, eamque hoc loco ludibrii causa ab Hyperide Demadi oratione efficto adscriptam esse accipere placet, scholiastae textus videlicet in breve contractus hoc modo evolvendus est: ὅτι προδότη⟨ς ἦ⟩ν κατὰ ⟨τῆς Ὀλύνθου ὑπὲρ⟩ Φιλίππου πράττων, quae omissio palaeographica ratione et praepropera scribae lectione item non sine veritatis specie explicari potest.

Ex his tamen interpretationibus eas potius, quae in falsa Demadis argumentatione consistunt, cum et textu ipso integro vel paulum immutato et argumenti concinnitate nobis commendentur, ut probemus satis probabilis arridet coniectura. Quae cum ita sint sic posteriorem fragmenti partem constituendam esse opinor: λέξει ὅτι προδότη⟨ς ἦ⟩ν κατὰ Φίλιππον πράττων vel si lectionem

[22] Kühner-Gerth, *Ausführl. Gramm. d. griech. Sprache* II 1 p. 476; Brugmann-Thumb, *Griech. Gramm.* p. 506; Mayser, *Gramm. d. griech. Pap.* II 2 p. 429; Witkowski, *Historyczna składnia grecka*, Lwów 1936, p. 397 sq. Indice verborum editioni Iensenianae adiecto diligenter perlustrato nullum eius rei vestigium in Hyperidis Graecitate iuveni. Nihil quoque de hoc praepositionis apud Hyperidem usu in peculiari commentatione a D. Gromska conscripta repperi (*De sermone Hyperidis*, Studia Leopolitana III 1927). Alios vero libros, in quibus Hyperidis lingua enucleatur (S. Kayser, *Etude sur la langue d'Hypéride*, Mus. Belge IV 1900; L. Bruner, *Studien zur Gesch. u. Sprache des Hyperides*, Progr. Bamberg 1906; U. Pohle, *Die Sprache d. Redners Hypereides in ihren Beziehungen zur Koine*, Klass.-philol. Studien H. 2, 1928), frustra in bibliothecis nostris, ut consulerem, quaesivi.

traditam quadamtenus servare libet: λέξει ὅτι προδότη⟨ς ἦ⟩ν κατὰ ⟨τὰ⟩ Φιλίππου πράττων legendum esse puto. Denuo Hyperideae cavillationis exemplum in hoc Demadis responso deprehendimus. Demades enim, Philippi assecla, Euthycraten non solum excusare, sed etiam proditionis culpa prorsus liberare studet, quia ex Philippi sententia Euthycratem semper egisse declarat et commodis regis inservivisse asserit. Non tam igitur Atheniensium proditorem quam Philippi fautorem et adiutorem corona ornandum esse proponit. In hac igitur rogatione ferenda Euthycratis proditiones, quae tanto odio Atheniensibus erant, Demadi, cum Philippo profuissent, laudibus et honoribus dignae esse videbantur.

Videamus, quid ex hoc fragmento lucrati simus omniaque in unum complectamur. Utcumque se res habet, cum parum manifesta tradantur, in epilogo orationis ab Hyperide in Demadem habitae praeter ficti decreti rogationem, quae nobis iam ex fragmento 76 et aliis duobus scholiis Hermogenianis innotuit, etiam prosopopoeiam ipsius Demadis rogationem suam argumentis corroborantis a Hyperide introductam esse comperimus eamque ficti decreti mentionem praecessisse ex fragmentorum comparatione satis certe efficitur. Praemissa enim Demadis fictione, cum falsas ab eo proxeniae causas allatas esse legamus, Hyperides ficti decreti rogatione laudata cuncta Euthycratis facinora, quae fr. 76 continentur, vehementer irridens enumeravit. Omnia igitur conspirant, ut fragmentum nostrum in nova Hyperidis fragmentorum collectione ante fr. 76 ponamus, quia in hoc fragmento iam illius rationem habitam esse ex eis, quae exposui, aperte patet. His expositis orationis Hyperideae argumentum nova luce aspersum esse satis demonstrasse videor. De reliquis fragmenti latebris videant artis rhetoricae peritiores et in oratorum Graecorum memoria versatiores et quid ex hoc novo fragmento ad artem ipsius Hyperidis rhetoricam uberius illustrandam elici possit dilucidius aperiant.

Wratislaviae

DE MONOSTICHIS MENANDRI Q. D. QUAESTIONES SELECTAE

Scripsit
GEORGIUS ŁANOWSKI

I. De Monostichorum inde a Meinekii temporibus vicibus.

Textum Monostichorum communem et receptum Augustus Meineke[1] constituit. Qui vir doctissimus eximiusque Comicorum editor, cum tempore heroico, ut ita dicamus, philologiae classicae viveret, parvi habuit pretii sententiarum syllogen; quo factum est, ut in iteratis operis sui editionibus longe minore eam instrueret cura quam alia fragmenta. Primum quidem sententias edidit in libro q. i. *Menandri et Philemonis reliquiae*[2], qui pro fragmentorum Comicorum editionum fundamento iure haberi potest. Fontes sententiarum sive gnomarum huius editionis quinque fuerunt libri manuscripti, quattuor Vindobonenses unusque Guelferbytanus, quorum librorum tres iam pridem Schneider in editione Aesopi (Wratislaviae a. 1812) publici iuris fecerat, duos dico Vindobonenses et Guelferbytanum, ceterorum exemplaria descripta idem Schneider cum Meinekio communicavit. Quibus sup-plementum adiecit vir doctissimus Aldina editione usus[3]. Corpusculo bis etiam postea in *Comicorum Graecorum Fragmentorum* editionibus — maiorem minoremque dico — impresso duo supplementa addidit e codicibus tribus: uno Vindobonensi scilicet duobusque Parisinis[4]. In unaquaque editione apparatus criticus plenior amplior-

[1] *Fragmenta Comicorum Graecorum* ed. Augustus Meineke vol. IV, Berolini 1841, pp. 340—374; editio minor *FCG*, Berolini 1847, pp. 1041—1066. Cuius editionis vices infra accuratius narrabuntur. Cf. notas 2—5 et tabellam.

[2] *Menandri et Philemonis reliquiae* edidit Augustus Meineke, Berolini sumptibus Augusti Mylii 1823, pp. 311—340. Adice huc *Corrigenda et addenda* in calce voluminis p. 578 sq. impressa.

[3] De codicibus cf. *Menandri et Philem. rell.* pp. XI—XIII et Meyer, *Urbinatische Spruchsammlung* (quomodo inscripta sit disputatio, accuratius in nota 8 invenies) p. 400, qui eos notis signavit his: **A, V, W, Wi, Vin.** — Aldina editio anno 1495 typis excusa praeter Theocritum et Hesiodum gnomica varia includit, inter quae sunt: γνῶμαι μονόστιχοι ἐκ διαφόρων ποιητῶν κατὰ κεφάλαια συντεταγμέναι i. e. corpusculum „Menandreum". Cf. Sternbach, *Menandrea* 1.

[4] *FCG* ed. maior vol. IV, *FCG* ed. minor, Supplementum I e codice Vindobonensi philos. Gr. n. CXLV (Nessel) = Meyeri S, Sternbachii A. Supplementum II (post Boissonadii *Anecdota* I p. 153—159) e duobus Parisinis Gr.

que fiebat novaeque adnotationes in *Corrigendis et addendis* accedebant[5]. Itaque quotienscumque de Meinekiano textu et apparatu loquemur, eam intellegemus speciem, quae in editione novissima (1847) exstat; quod ad apparatum pertinet, intellegatur omnibus auctus *addendis* iis etiam adiunctis, quae anno 1857 iam partim ab Henrico Jacobi confecta indicem Comicorum praecesserunt. Hic habeas velim tabellam, quae ordinem ac rationem editarum sententiarum planissime demonstrabit. Enumeratio, quam proponam, neque supervacanea neque inutilis est, nam non semper curavit Meineke, ut quae semel essent scripta, alio repeterentur loco. Itaque quicumque editionibus viri docti utetur, in textu atque apparatu consulendo ordinem debet sequi hunc:

1	*Men. et Philem. rell.* textus et apparatus	1823
2	eiusdem libri *corrigenda et addenda*	1823
3	*FCG* ed. maior vol. IV textus et apparatus	1841
4	*FCG* ed. maior vol. V *addenda et corrigenda*	1844
5	*FCG* ed. minor textus et apparatus	1847
6	*FCG* ed. minor *addenda*	1847
7	*FCG* ed. maior vol. V *supplementa addendorum*	1857.

In apparatu critico loci similes Stobaei afferuntur aliaeque collectiones, ut ex. gr. Ioannis Boissonade anecdota et Monostichorum recensio vetustior Ioannis Gottlob Schneider curis instituta, ad calcem eiusdem viri docti editionis Aesopi fabularum apposita[6]. At eodem in apparatu rarissime notantur ea, quae ad textum constituendum magni sunt momenti, exempli gratia Monostichorum in singulis codicibus ordo, librorum manuscriptorum affinitas, gnomarum in singulis codicibus numerus, sententiarum variae lectiones. Meineke quosdam versus, quos pro spuriis habuerat, ne levissima quidem facta mentione alto praeteriit silentio. Acce-

1168 et 1630, quorum unum Meyer P littera designat, alium tantum *eine andere Handschrift* nominat. Cf. Meyer, *Urbin. Spruchsamml.* 400, Sternbach, *Menandrea* 1, *Curae* 168 sqq.

[5] *Corrigenda et addenda* editionis Menandri et Philemonis v. notam 2. *FCG* vol. V (1844) p. 110 *addenda et corrigenda* (1844). *FCG* ed. minor p. XXI sq. *addenda* (1847). *Supplementa addendorum* a Henrico Iacobi confecta *FCG* vol. V p. CCXCIV—CCCIV (1857).

[6] ΜΥΘΟΙ ΑΙΣΩΠΕΙΟΙ *Fabulae Aesopiae e codice Augustano nunc primum editae cum fabulis Babrii choliambicis collectis omnibus et Menandri sententiis singularibus aliquot etiam ineditis* recensuit et emendavit Io. Gottlob Schneider Saxo, Vratislaviae 1812.

dit. quod nihil ei curae fuit in singulorum codicum naturam atque indolem inquirere[7]. Itaque ii, qui successerunt, facere non poterant, quin in aream a Meinekio tritam iterum descenderent. Quo tempore vel maxime florebant virorum doctorum studia Menandrea, quae breve post temporis spatium ad nostra usque tempora a tot ac tanti ingenii viris doctis coluntur. Nostra memoria ipsa Comici fragmenta maiora ac continua legi possunt; at viris doctis illius temporis saepe enucleandi erant perpauci versus vel etiam singuli e tanta multorum saeculorum farragine. Quae cum ita essent, e tanto sudore exstiterunt multi libri, disputationes, observationes. Libri manuscripti, iam antea publici iuris facti, accuratissime sunt examinati et descripti, novi haud spernendi codices reperti, animadversiones de librorum affinitate factae, nova quaedam ex aliis adiecta fontibus, quae fructui essent in gnomarum accurata recensione, recta emendatione, origine corpusculi investiganda.

Primus, qui extremam manum operi imposuisse videbatur, Gulielmus Meyer Spirensis fuit, Monacensis professor. Is primum novum gnomologii exemplar in codice Urbinati asservatum docta ac diserta commentatione tractavit[8]. Ad sententias ducentas duas in hoc codice obvias recte recensendas copiosissimum congessit apparatum viginti quinque fere codicibus examinatis. Cum editionis Meinekianae menda repetere noluisset, codicum singulorum lectiones diligentissime perscrutatus est atque ad corpusculi textum constituendum multa adiecit. In animo ei fuit totius syllo-ges accuratissimam editionem publici iuris facere, quod tamen

[7] Cf. Th. Kock, *Die Sammlungen Menandrischer Spruchverse* p. 85: *...die Überlieferung der übrigen Verse* (exceptis versibus, editis a Meyero) *ist ausserordentlich mangelhaft bekannt, da wir meist nicht einmal wissen, welche der einzelnen Sprüche in jeder einzelnen Hs. erhalten sind.* Cf. Meyer, *Urbinat. Spruchsamml.* p. 401, qui editionem Meinekianam *durchaus ungenügend* dicit. Meincke IX versus in editionibus suis bis repetivit, qui sunt: 58 = 599, 263 = 673 (cf. Kock, *Sammlungen* p. 86 in nota), 325 = 683, 451 = 701, 478 = 629, 509 = 731, 583 = 703, 586 = 719, 623 = 694. Menda typographorum, quae in omnibus Meinekii editionibus repetuntur, haec sunt: in Mon. 139 ὧν pro ὡς, 215 γαμεῖν pro γαμεῖ. (Quod ad singulas editiones attinet multo plura invenies, ex. gr. solos confer versuum numeros in *Men. et Philem. rell.* in apparatu critico falso notatos: Mon. 60 pro 65, 107 pro 108, 517 pro 518, 555 pro 556, 559 pro 560, 560 pro 561, 561 pro 562, 562 pro 563, 563 pro 564).

[8] Wilhelm Meyer, *Die Urbinatische Sammlung von Spruchversen des Menander, Euripides und Anderer*, Abhandlungen der K. bayer. Akademie der Wissenschaften, phil. Klasse XV, Monaci 1880, pp. 397—449.

adeptus non est. Noluit ordinem confusum Meinekii in sententiis ordinandis sequi et (ut ex editione codicis Urbinatis et iis, quae cum Jagićio communicavit, quaeque in Jagićii infra laudato libro allata sunt, elucet) eodem modo atque in Publilii Syri antea editis sententiis series distinxit litterarum, in quibus omnis sententia suo loco staret atque littera et numero designaretur sicut ex. gr. A 1, A 2, K 12. Sed in textu maxime interpolato ac corrupto difficillimum fuit Monostichorum numerum ac ordinem pristinum distinguere. In altera de sententiis monostichis disputatione[9] vir doctus novo nisus codice imitationem quandam corpusculi Menandrei saeculo IX p. Chr. n. consutam continente (M = Parisinus 690 suppl. Graec. saec. XII fol. 73 b) seriem quandam gnomarum (A 28 — A 35 et B 1 — B 9) codicis Urbinatis tamquam interpolatam damnavit. Meyeri[10] de Monostichis rite perspiciendis merita haec sunt: primus artem criticam in sententiis singularibus subtilius exercuit, codices distinxit potiores et deteriores, affinitatis vincula ostendit, apparatum ad singulas gnomas copiosum et accuratum congessit. Nostra quidem sententia non satis prudenter omnibus in rebus opinionem suam munivit, cum in sylloge plura Menandri germana inesse crederet, quam reapse erant.

Eodem fere tempore iuvenis diligentissime eruditus atque praecipuo ingenii acumine praeditus Leo Sternbach nostras exstitit, qui studiis Menandreis totum se dedit. Primum igitur edidit vir doctus collectionem CXXVIII gnomarum „Menandri"[11] e codice Parisino Suppl. Gr. 690. Successerunt disputationes solis Monostichis dedicatae q. i. *Menandrea* et *Curae Menandreae*[12], speci-

---

[9] Wilhelm Meyer, *Nachlese zu den Spruchversen des Menander und Anderer*, Sitzungsberichte d. bayer. Akad. d. Wissenschaften, phil. Kl. 1890 II, pp. 355—380. In eiusdem viri docti disputatione *Die athenische Spruchrede des Menander u. Philistion* (Abh. d. philos. philol. Classe d. kgl. bayer. Akad. d. Wiss. XIX), etsi alia Pseudo-Menandrea tractantur, nonnulla etiam invenies, quae ad gnomarum collectionem spectant.

[10] V. Jagić, *Menandersentenzen* p. 20, 46, 56. Meyeri ordinem sententiarum sub finem uniuscuiusque litterae apud Jagićium deprehendes.

[11] Leo Sternbach, *Georgii Pisidae carmina inedita*, Wiener Studien XII 1891, pp. 58—62, ubi 128 (111 „novae") gnomae e cod. Parisino Suppl. Gr. 690 editae sunt.

[12] Leo Sternbach, *Menandrea*, Rozprawy Wydziału Filologicznego A. U. XIV, Cracoviae 1891, pp. 320—395 et seorsum expressum pp. 1—76; idem, *Curae Menandreae*, Rozprawy Wydziału Filologicznego A. U. XVII, Cracoviae 1892, pp. 168—245 et seorsum expressum pp. 1—78.

mina excellentia rationis ac viae, quibus quaestiones huiusce generis ponderari atque solvi possint. Atque in illa quidem disputatione criticus optimus principem sententiarum editionem i. e. Aldinam examinavit; cuius fonte in codicibus Vaticano et Marciano invento[13] auctorem sylloges VP, quam appellavit S, Maximum Planudem fuisse ostendit[14]. Is saeculo XIV ineunte (a. 1302) gnomologia Menandrea accuratiore secundum litteras digesserat ordine, in quo sententiarum „familiae" ad singulas res (ex. gr. amicitiam, amorem) spectantes ordine alphabetico sequerentur[15], in ipsis autem „familiis" non tam diligenter secundum solam priorem litteram[16] singulae sententiae ordinarentur. In eadem disputatione XVIII „novas" sententias a Meinekio in syllogen non receptas[17] publici iuris fecit Sternbach. In *Curis* descripsit et examinavit vir doctus codices aliquot[18], e quibus gnomas novas

[13] Aldina defluxit e Vaticano Gr. n. 63 (membranaceo in 4°, saec. XIV) ff. 116^{r}—120^{r}, cf. Sternbach, *Menandrea* 2 sqq. Vetustior eo est atque collectionis originem detegit codex Marcianus n. CDLXXXI Zan (P) ff. 77^{r} — 80^{r} A. D. 1302 scriptus, cuius descriptionem accuratissimam in *Menandreis* p. 6 sqq. invenies.

[14] Sternbach, *Menandrea* 6.

[15] Cf. Meyer, *Urbin. Spruchsamml.* 407 sq. Ex. gr. 1) εἰς ἀγαθὸν ἄνδρα, 2) εἰς ἀλήθειαν, 3) εἰς ἁμαρτίαν, 4) εἰς ἀνάγκην, 5) εἰς ἀρετήν, 6) εἰς ἀχαριστίαν.

[16] Ex. gr. in lemmate 10 εἰς βουλήν sententiae ita incipiunt: ἀνὴρ ἄβουλος..., ἀβουλία.... βουλῆς γάρ..., βουλὴν ἅπαντος.... ἐν νυκτί..., ἱερόν..., σύμβουλος..., σοφούς..., σοφή.... σύμβουλος. Conclusio, quamquam a Leone Sternbach verbis expressa non est, luce est clarior; is qui collectionem composuit, eo modo rem tractabat, ut accurata dispositione lemmatum confecta singulis lemmatis singulas sententias ascriberet, quae tamen iam prius ordine alphabetico erant positae, etsi non tam diligenter digestae sunt prima solum littera locum suum servante.

[17] *Menandrea*, pp. 18—33.

[18] Codices hi sunt: A = Vindobon. philol. Gr. n. CLXV, *Curae* 168 sqq.; eandem syllogen exhibet B = Vaticanus Gr. n. 127 chartaceus in 16° saec. XV f. 42^{v} sqq. *Curae* 174 sqq.Collectionem in utroque codice servatam secundum Sternbachium Gregorius Nazianzenus ex antiquis fontibus concinnavit, *Curae* 190:

D = Vaticanus Gr. 845 (chartaceus in 4°, saec. XIV) f. 139^{r} sq., *Curae* 191 sqq.;
C = Laurentianus Plut. LX n. 14 ff. 72^{v}—77^{r}, *Curae* 207 sqq.;
K = Vaticanus Gr. n. 915 f. 45^{r}, *Curae* 210 sqq.;
I = Vaticanus Gr. n. 305 (bombycinus in 4°, saec. XIV), *Curae* 213 sqq.;
E = Vindobonensis theolog. n. 128 Nessel (chartaceus in folio saec. XIV) monost. incipiunt f. 179^{v}, *Curae* 215 sq.;
F = Vindobonensis philol. n. 167 (chartaceus in 4°, saec. XV) inde a f. 143^{v}, *Curae* 216 sq.;
G = Palatinus Gr. n. 122 et plane gemellus:
H = Laurentianus Plut. X n. 22 ff. 30^{r}—41^{r}, *Curae* 217 sqq.

hausit XXI aliisque gnomis locos similes addidit permultos, in quibus colligendis incredibilis viri docti eruditio maxime effulsit. Duas praeterea parabat disputationes vir doctissimus[19], quas tamen numquam prelo esse mandatas valde dolemus. Opuscula Leonis Sternbach saepe in perpaucis paginis molem ingentem afferunt cum eruditionis maximae tum doctrinae verbis concisis ac brevibus expressae. Ratione ac via, quibus investigantur atque exponuntur argumenta, lector diligens delectatur, dum auctorem in sententiarum, locorum similium, notarum pelago ad tutissima optime munitarum conclusionum receptacula tendere miratur.

Tertius fuit Serbiae vir doctus Vatroslav (Ignatius) Jagić, qui philologos admonuit de gnomarum collectionibus multis in libris manuscriptis servatis in Russorum antiquorum sermonem et prius in Slavicam ecclesiasticam q. d. conversis linguam. Fuerunt Monosticha in libris classicis scholae aetatis Byzantinae. Jagić ergo primum in Actis Academiae Belgradensis, tum in commentariis q. d. Sitzungsberichte d. Wiener Akademie[20] collectionem Sla-

[19] *Curae* 168: *Mox „schedae Menandreae" et „lectiones Menandreae" succedent.*

[20] V. Jagić, *Spomenik* q. i. *Разум и Философија* XIII pp. 39—54. Librum in bibliothecis nostris invenire non potui; idem, *Die Menandersentenzen in der altkirchenslavischen Übersetzung*, Sitzungsberichte d. kais. Akademie d. Wissenschaften in Wien, Philosophisch-historische Classe CXXVI 7, Vindobonae 1892, pp. 1—104. Codex Slavica ecclesiastica exaratus lingua MS Srećković'ianus (e bibliotheca scilicet professoris Belgradensis Panta Srećković proveniens) saeculo XIV ineunte scriptus et ab editore litteris Sr signatus est. Cf. Jagić, *Menandersentenzen* 8 sq. Codices Russici hi fuerunt, quos in familias distribuimus ordine a Jagićio constituto l. l. 12:

a) Codici Sr prope affinis MS monasterii Sergii Nr. 730 (Sc) XVI saec., l. c. 12,

b) excerpta collectionis a Sr et Sc servatae praebent:
Gc e bibliotheca Societatis Moscovitarum Russicae Historiae et Antiquitatum I 189 saec. XV exaratus, l. l. 2,
Uc e collectione Undolsciana cod. miscellaneus 1135, sacc. XVII scriptus, cf. l. l. 10,

c) excerpta, in singulis sententiis amplificata, nonnullis etiam aucta:
Te codex e N. S. Tichonravovi bibliotheca cf. Jagić, l. c. 5,
Sptc codex Petropolitanus miscell. XVI saec. l. l. 4 sq., qui in libro Jagićii editus est pp. 90—103, cui affines libri manuscripti duo bibliothecae tum synodalis 324 et 323 fuerunt.

De Menandri sapientis nomine in litteris Slavorum celebrato cf. Jagić, l. c. 12 sq. Corpusculum Monostichorum unicum est Graecae poeseos exemplar in Slavorum orientalium scholam antiquissimam receptum, cf. Aleksander Brückner, *Historja literatury rosyjskiej*, Leopoli—Varsoviae—Cracoviae 1922, vol. I p. 43: *z olbrzymich zasobów klasycznych — oprócz paru gołych nazw — otrzymali Bułgarzy-Ruś jeden jedyny zbiorek, paręset wedle alfabetu ułożonych zdań-gnom*

vicam vel vetustissimam (examinatis etiam Russicis pretiosissimis codicibus) cum gnomologio nostro comparavit atque exemplar Graecum, e quo versio fluxisset Slavica, restituere conatus est. Quod exemplar littera Σ designatum 442 sententias i. e. 445 versus (28, 78, 363 disticha fuerunt) continens[21], sicut vir doctus demonstravit, optimi fuit generis omnibus fere in rebus codicibus Graecis asservatis vetustius et perfectius, et plures continuerat sententias a traditione reliqua vel omnino ignoratas, vel in aliis tantum fontibus antiquis ex. gr. apud Stobaeum conservatas. Temptavit etiam Serborum vir doctus sententias, quarum versionem solam Slavicam e codicibus lucratus est, denuo in Graecum idioma vertere, id quod nonnumquam ei optime contigit[22]. Invenit omnino sententias „novas" CI et modo designavit hoc: *a* — *z* (inter quae *x* et *x'*), α — ω, *aa* — *zz*, αα — ωω. *aaa* — *ccc*.

„Menandri sapientia" (sic enim nonnumquam gnomae appellari solent) non solum Slavicas terras invasit, verum etiam in Syriacam linguam versa est. Versionis Syriacae vestigia Antonius Baumstark in *Lucubrationibus Syro-Graecis* ostendit[23], cuius in disputationis parte tertia duo tractantur codices Syriaci[24] florilegium

z komedyj Menandrowych [quod quidem falso] (*a i te jeszcze późniejszy redaktor ruski na chrześcijańskie przebijał kopyto*) *i poza tym nic a nic więcej*! ibidem p. 73: *Obok gnom Akirowych cieszyły się wielką powagą gnomy Menandrowe...*; p. 117: *Pszczoła* (i. e. Melissa Russica)... *Składa się z rozdziałów o cnocie i złości etc. etc. w każdym rozdziale zbiera do tego zdania, gnomy, w stałym porządku najpierw z ewangelii; Apostoła; z pism Starego Zakonu ... a z pisarzy: Plutarcha, Menandra* (*najliczniej bo z jego własnych sentencyj*), *Eurypidesa...*; p. 118: *Pszczoły nie były jedynemi zbiorami gnomicznemi; istniały obok nich inne np. Mądrość Menandra tj. kilkaset gnom-wierszów wybranych z jego komedyj...* Iam nunc observare possumus, quanti in antiquissimis Slavorum orientalium litteris momenti corpusculum Menandreum fuerit.

[21] Jagić, l. c. 46.

[22] Ex. gr. cf. infra p. 48; quas sententias Kalbfleisch in papyro invenit Iandana σσ. ττ. υυ. Cf. K. Kalbfleisch, ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΓΝΩΜΑΙ, Hermes 63 (1928) p. 100 sq.: σσ = P. land. n. inv. 348 v. 6, ττ = v. 7, υυ = v. 8.

[23] Antonius Baumstark, *Lucubrationes Syro-Graecae*, Jahrbücher für classische Philologie hrsg. v. Alfred Fleckeisen, 21 Supplementband, Lipsiae 1894, pp. 353—524. Ad Menandri gnomas spectat disputationis caput III *De fragmentis Menandri Syriaci* pp. 473—490.

[24] Hi sunt: 1) cod. Musei Britannici add. 14658 (edidit Land, *Anecdota Syriaca*... Lugduni Batavorum 1862—1875) tom. I p. 64, continet etiam sententias Pythagoreorum, scriptus est saec. VI exeunte teste Baumstarkio, l. l. 490. 2) libellus miscellaneus cod. Musei Britannici add. 14614 ff. 114a—117b, saec. VIII. Menandri sententiae a 116a—117a, sequuntur „sententiae sapientium". Edidit Sachau, *Inedita Syriaca*, Vindobonae 1870, p. 80 sqq., cf. Baumstark, l. l. 473.

Menandri amplexi. Sententiarum ordo in utroque florilegio (quod ex uno fonte manavisse videtur) hic est, ut vitae humanae sequatur gradus inde ab incunabulis usque ad sepulturam et propinquorum post mortem luctum[25]. Baumstark, cum se primo florilegii editori Landio opponeret, Syrum Menandro sua verba ac proverbia popularia attribuisse iudicanti, gnomologium Syriacum scaenas fabularum sequi opinabatur, quod ut probaret versionem Latinam scaenarum ac sententiarum comicarum similium proposuit[26]. Quae viri docti opinio nobis probanda non videtur, quippe qui iam in papyris scaenas e poetarum sententiis germanis artificio quodam ligatas ac constructas legamus[27]. Ipsius autem poetae vel potius poetarum verba e Graeco sermone in Syriacam linguam versa, tum e Syriaca lingua in Latinam, cum interpres natione Germanus fuerit, iam sui fiunt dissimilia et nostra quidem sententia nihil fere ad singularum gnomarum textum constituendum conferunt. Quaesierit quispiam, quonam tempore confectum sit florilegium Syriacum? Codex uterque antiquissimus est, qua ratione nisus existimavit Baumstark certe iam medio saeculo quarto duo sententiarum Menandrearum florilegia circumlata esse[28]. Negavit se diiudicare posse, utrum gnomologium ex eiusdem generis exemplari Graeco an e versione comoediarum Syriaca haustum esset. Nobis sat est monuisse iam medio saeculo quarto post Christum natum sententiarum „Menandri" syllogas Syriacas exstitisse.

Itaque his haud parvi laboris operibus laudatis atque ita fundamento quasi totius rei posito delineata est via quaestionis de corpusculi origine, scilicet ut codices, quorum multi intacti iacent, multi neglegentius sunt tractati, accuratissime investigarentur ac tractarentur. Nam codices fere innumerabiles sunt, ut nuper Con-

---

[25] Baumstark, l. l. 488.

[26] Baumstark maioris esse pretii existimat praedam suam Syriacam, ut ipsius afferam verba, l. l. 474: *Certissima ... indicia sunt, unde colligamus multo maioris pretii esse fragmenta Syriaca quam illos versus Graecos, qui undique congesti magnamque partem semibarbari sub nomine Menandri produntur*, et infra 490: *Parum enim videtur mihi sententiarum Syriacarum indoles convenire cum indole gnomologiorum Graecorum, quae adeo ipsam scaenam redolere equidem nescio.*

[27] Cf. Koerte, Archiv für Papyrusforschung XIV (1941) p. 127 Nr. 972 (ad pap. Vindobonensem 19999).

[28] l. l. 490.

stantinus Horna statuit[29], et res immensi est laboris et multorum viribus indigere videtur. Etsi Meyeriani viginti quinque codices manuscripti materiae copiosissimae vix partem exiguam explent, tamen Meyerus eo audaciae progressus est, ut originem gnomologii ac gnomarum florilegii vetustissimi numerum his nisus libris manuscriptis, quos examinaverat, reperire conaretur. Corpuscula igitur, quae ad nostra servata sunt tempora, esse varii generis excerpta e florilegio pristino facta, quod 1200—1500 versus monostichos continuisset[30], vir doctus sibi persuasit. Theodorus Kock, cui in *Comicorum Atticorum Fragmentis* edendis etiam Monosticha nequaquam fuerunt neglegenda, priusquam corpusculum a fragmentis edendis secluderet, in Museo Rhenano[31] disputationem solis Monostichis dedicatam publici iuris fecit, quae ad omnes fere quaestiones aliquid novi contulit. Inspectis Monostichis — ut illa aetate fieri poterat — theses huiusce fere modi statuit in disputatione maximam partem firmis argumentis fulta[32]: 1) Monosticha Menandri, quae dicuntur, falso poetae nomen prae se ferre, cum exiguum Comici versuum germanorum numerum includerent adiectis etiam multis aliorum comicorum et tragicorum versibus, haud raro etiam Christianis fabricationibus immixtis; 2) in sylloge praevalere versus, qui genuina specie carerent, ita autem essent constituti, ut quaedam voces — prout corpusculi ratio postularet — aut adderentur aut omitterentur aut denique immutarentur; 3) rationem corpusculi eam fuisse, ut enchiridii loco in scholis usurparetur scripturae vel calligraphiae discendae maxime idonei, ad quam rem maximi esset momenti et Monostichorum dispositio et in mutandis litteris initialibus praecipua magistrorum posita cura, scilicet ut singulae litterae numerum versuum satis magnum inciperent.

[29] C. Horna, RE suppl. VI (1935) s. v. *Gnome, Gnomendichtung, Gnomologien* col. 87: *Die in der Tat auch heute noch ungeheure Schwierigkeit der Aufgabe... Schon die räumliche Ausdehnung der notwendigen Forschungen in den Bibliotheken von Oxford bis Jerusalem, von Moskau bis Madrid und weiter musste entmutigen.*

[30] Meyer, *Urbin. Spruchsamml.* 403, cf. Kock, *Sammlungen* 114.

[31] Th. Kock, *Die Sammlungen Menandrischer Spruchverse*, Rheinisches Museum N. F. 41 (1886), pp. 85—117. Confer etiam ea, quae scripsit vir doctus in *Comicorum Atticorum Fragmentorum* voluminis III praefatione p. III sq.

[32] Cf. Kock, l. l. 113 sq. Quid imprimis studuisse videatur vir doctus, legitur l. l. 116: *Es giebt wie es scheint nur eine befriedigende Lösung des Räthsels: die Sammlungen dienten als kalligraphische Vorlegeblätter zum Schreibunterricht in den Knabenschulen byzantinischer Mönchsklöster.*

Adversabatur vir doctus Meyero, quod librum sententias memoriae mandandas continuisse putavisset; de ipso vero numero sententiarum collectionis vetustissimae disputare noluit, cum professor Monacensis nullas rationes, quae supra laudatam eius opinionem probarent, attulisset. Ipsum tamen corpusculum aetate Byzantina saeculo X vel XI p. Chr. n. ortum esse docuit Theodorus Kock.

Sicut saepissime in philologia nostra accidit, tempora posteriora nonnullas Kockii opiniones confirmaverunt, nonnullas autem quaestiones longe aliter tractandas esse monstraverunt. In hac quidem quaestionum farragine lux quaedam nova effulsit ex Oriente, scilicet e papyris post tot saecula redivivis. Monumenta enim litterarum antiquiora libris Medio Aevo exaratis nunc ex Aegypti harenis eruta sunt et a doctis legi potuerunt. Ut de iis solis verba faciam papyris, quae ad nostram quaestionem attinent, inter multa scholae Graeco-Aegyptiacae servata monumenta, praeter tabulas, papyros, ostraca[33] singulas corpusculi sententias continentes papyrus inventa est, quae integrum pueri Graeci libellum exhibet[34]. In quo exercitationes in litteris et syllabis et vocibus scribendis series alphabetica viginti quattuor sententiarum sequitur, quas primo iam obtutu tamquam florilegio „Menandreo" affines pro certo potest

[33] Versus in hisce conservati infra n. 35 sqq. afferentur. Monostichorum longiores tractus leguntur, quod equidem sciam, in his:

Pap. Iandana V No. 71 cf. notam 41; Pap. Bouriant No. 1 cf. notam 34; Pap. Vindobonensi 19999 A cf. notam 36; Tab. Epiphaniana cf. huius disputationis caput II A; Pap. Berolinensi cf. huius disputationis cap. II B; Pap. Vaticana, O. Marucchi, *Il Museo Egiziano Vaticano*[2] p. 296 sq. Librum, qui laudatur ab E. White, *The Monastery of Epiphanius at Thebes, P. II Greek Ostraca and Papyri*, Novi Eboraci p. 320, inspicere non potui. Quibuscum coniungendae sunt etiam Pap. Ryland 41 (VI p. Chr. n. sacc. discipuli libellus) cf. A. f. Pap. VI 267 No. 521, et sententiarum acrostichis II p. Chr. n. saeculi, cf. Milne, Journal of Eg. Archeology VIII (1922) p. 156 sq., Koerte, A. f. Pap. VIII p. 259 No. 686, Manteuffel, *De opusculis Graecis Aegypti e papyris ostracis lapidibusque collectis*, Varsoviae 1930, p. 196 sq.

[34] Papyrum dico q. d. Bouriant No. 1, IV vel III p. Chr. n. saeculo scriptam. Cf. editionem: P. Jouguet—P. Perdrizet, *Le papyrus Bouriant N° 1. Un cahier d'écolier grec d'Egypte, Studien zur Palaeographie u. Papyruskunde* hrsg. v. C. Wessely, VI, Lipsiae 1906, p. 148 sqq. Usui promptior est textus ab Erico Ziebarth in libello q. i. *Aus der antiken Schule*[2], Lipsiae 1913 (Lietzmann's Kleine Texte 65) editus pp. 21—24 (sententiae monostichi 23 sq.). Sed apparatum et locos similes nisi apud Wesselium non invenies. Cf. etiam Paulum Beudel, *Qua ratione Graeci liberos docuerint papyris, ostracis, tabulis in Aegypto inventis illustratur*, Monasterii Guestfalorum 1901 p. 18 sqq. Cf. denique Koerte, A. f. Pap. VI 266 No. 519.

accipi. Versus „Menandrei" inter discipulorum pensa praecipuum locum obtinebant atque maxime idonei videbantur, quos pigri pueri magistro iubente iterum iterumque scriberent[35].

Liber fuit tam notus, ut aliquando magistri maiore praediti „ingenio" rei novae ac varietatis cupidi Monosticha averso alphabeti ordine scriberent[36] vel etiam scaenas componerent comicas e sententiis Menandreis propria Minerva contextas[37]. Quae omnia nobis vel optimo sunt indicio librum iam illis temporibus exsti-

[35] Beudel, l. l. 17; Bull. de corresp. hell. 28 (1904) p. 208 (Jouguet-Lefebvre) ὀργῆς ἕκατι κρυπτὰ μὴ ἀφάνῃς φίλου (Mon. 418) quater scriptum, cf. A. f. Pap. 3 (1906) p. 486 No. 327; Journal of Hellenic Studies 28 (1908) p. 126: ostracon sacculi II p. Chr. n. ὁ μηθὲν ἀδικῶν οὐδενὸς δεῖται νόμου (= Men. fr. 845 Kock = Antiphanis fr. 288 Kock); JHS 29 (1909) p. 39 in saec. II p. Chr. n. diplomate: σοφὸν παρ' ἀνδρὸς προσδέχου συμβουλίαν (= Mon. 476) μὴ πᾶσιν εἰκῇ τοῖς φίλοις πιστεύεται; cf. A. f. Pap. VIII p. 259 No. 686, Milne, *Catalogue of the Literary Papyri in the British Museum*, Londinii 1927, No. 253.

Quibus addas velim sententiam in ostraco quodam una cum versione Coptica servatam in Crum, *Short Text from Coptic Ostraca and Papyri*, Oxonii 1921. Librum aspicere non potui, versum commemorat H. G. Evelyn White, l. l. p. 320. Fragmenta eiusdem collectionis Gracco-Copticae in pap. Musei Britannici VIII fol. 1 et 3 asservantur, cf. White, l. l., cf. etiam Ziebarth, l. l. 6 sqq. Numeri 10, 11, 13—16, 18. Cf. etiam P. Collart, *Les papyrus scolaires*, Mélanges Desrousseaux, Parisiis 1937, imprimis p. 74.

[36] Pap. Vindobonensis 19999 A e Soknopaiu Nesos (Dîmeh) I saec. p. Chr. n. exeunte exarata a Ioanne Oellacher, *Mitteilungen aus der Papyrussammlung der Nationalbibliothek in Wien, Papyri Erzherzog Rainer* III 36 sqq. No. 24 edita. Mihi ea solum, quae de papyro Koerte in A. f. Pap. XIV (1941) p. 115 sqq. No. 971 observavit, nota sunt. Libellus discipuli est XXIV versus ordine averso ab ω — α dispositos continens nonnumquam sensu immutato ad textum continuum efficiendum, inter quos novem e codicum memoria notos invenimus: Mon. 553 = pap. 2, idem etiam in pap. Bouriant 23, Mon 472 = v. 8, Bouriant 17, Mon. 394 = 11, 374 = 12, 239 = 17, 226 = 18, 191 = 19, 139 = 20, 137 = 21.

[37] Pap. Vindobonensis 19999 saec. I p. Chr. n. exeunte a discipulo Aegyptiaco scripta, Oellacher, l. l. 39 sqq. No. 25 tab. No. 1.; mihi ex Alfredi Koerte papyrorum conspectu A. f. Pap. XIV (1941) p. 127 sqq. No. 972 solum nota. Contra opinionem editoris, qui scaenam comicam integram in XXI versibus asservatis agnoscere voluit et Schmidtii, qui decem tantum priores versus orationi comicae attribuit vel potius colloquio — inter patrem filium admonentem et filium patri grato respondentem animo habito — Koerte quae in fragmento papyraceo exstant, magistelli cuiusdam simplicissimi propria putat (*das Gemächt eines Schulmeisters der unter Benutzung „menandrischer" Sinnsprüche eine recht läppische Ermahnungsszene zusammenstümpert*), qui e „Menandri" versibus suum compilavit drama. Monostichi iam nobis noti in hac parte desunt, primis tamen papyri versibus (i. e. patris verbis) similes sunt Mon. 63, 66, 288, 301. Parte altera nondum restituta (quam omnino restitui posse nego) in tertia iam monostichon „genuinum" 422 et — mutata paulisper forma — Mon. 337 invenies.

tisse atque notissimum tritissimumque fuisse. Quo factum est, ut eo facilius intellegeremus in epistolis Pauli (*ad Corinth.* I 15, 33) — qui extra *Septuagintam* nullam fere habuit Graecarum litterarum notitiam utpote in schola Iudaeorum eruditus [38] — Menan-

[38] Arthur Darby Nock, *St. Paul*, Londinii 1938 p. 27 *...they* (scripta Pauli) *are marked by an extreme rarity of echoes from the classical writers and the constant presence of words and phrases from the Septuagint. We may reasonably suppose that Paul learned his Greek in a Jewish environment and a Jewish environment which was more Jewish and less Hellenic than the schools of Alexandria* et infra p. 236: *Paul shows only the slightest acquaintance with pagan Greek literature...*; A. D. Knox, *The First Greek Anthologist*, Cantabrigiae 1923, p. 14 *And it may have been from some blurred and hazy reminiscence of his far off and forgotten training in the humanities in some small Jewish school beneath the heights of Taurus that Paul the selfstyled apostle drew his quotation* φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί *'evil communications corrupt good manners'. If so it was assuredly in the collection of Cercidas and not in the original play that the young scholar read and marked words...* Et recte quidem, nam quae de litteris Graecorum hausta in Apostoli scriptis invenimus, perpauca sunt. Adnumerabis illis praeter locum allatum etiam aliud gnomicum *ad Titum* I 12 Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία γαστέρες ἀργαί = Epimenides fr. 1 Diels-Kranz. In commentariolis W. A. Oldfather et L. W. Daly, *A quotation from Menander in the Pastoral Epistles*, Classical Philology 1934, 202—204 (e Ioannis Marouzeau librorum indice mihi tantum notis) laudato illo φθείρουσιν κτλ. aliud Menandreum inesse credunt *ad Tim.* I 1, 15 et I 4, 9 πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος unde versu Terentiano collato, *Adelphoe* 955 *...et dictumst vere et re ipsa fieri oportet* versum Comici Graeci restituebant. Quibus oblocutus est H. J. Rose, *The "Faithful saying" again*, Class. Philology 1944, 118, cum trimetrum comicum illius aetatis spondeum quarto loco habere posse negaret. Ne quis miretur, cur plura de Pauli litterarum Graecarum notitia verba faciam, addere velim maximi esse nobis momenti versum illum gnomicum a Paulo non in opere quolibet integro (i. e. Menandri sive Euripidis fabula, cf. notam insequentem), sed in florilegio nescio quo lectum esse probare. Quae res nostra quidem sententia luce clarior est. Ergo necesse est sciamus tempore Pauli i. e. I p. Chr. n. saeculo florilegium Graecum, in quo hic versus occurrebat, iam regionibus a Graecarum litterarum luce remotioribus, in scholis scilicet Graeco-Iudaeis, fuisse usitatum. Quaeretur fortasse, fueritne florilegium illud Cercidae, sicut Knox loco supra laudato opinatus est, an aliud. Reputemus, quidnam verisimilius sit. Utrum scholae Iudaeo-Graecae magistri libro usi sunt maiore materiam e diversis poeseos generibus sumptam amplexo — difficilem perquam —, an elementis potius, versibus singulis trimetris, formâ compendiosâ, copiâ verborum vel minimâ? Illius generis fuit Cercidae anthologium, huius monostichorum syllogae, e quibus Menandreum florilegium natum est temporibus Paulo vel proximis. Syllogarum eius generis argumenta, etiam postea in Christianorum aetatis posterioris scholas receptarum ibique conservatarum ac propagatarum nulli opprobrio fuerunt animis orthodoxis, quibus Cercidae gnomologium probari non potuit. Collectionum exemplaria supra laudavi.

dreum inveniri illud: φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί[39]. Facilius etiam intellegimus, cur Menandri duae gnomae (tertia adiecta, quae corpusculi partem non effecerat) in quadam inscriptione sepulcrali incisae legantur[40].

Sed ad graviora transeamus. Papyrus Iandana 348 a Carolo Kalbfleisch edita[41] finem exhibet sententiarum voluminis maioris saeculo II vel III p. Chr. n. scripti, gnomas scilicet decem

---

[39] Versus celeberrimi habeas velim fastos. Antiquissima est eius memoria in papyro Hibeh 7 v. 94, *The Hibeh Papyri* ed. by Bernard P. Grenfell and Arthur S. Hunt, Londinii 1906, p. 35 sqq., ita mutilati, ut solum ΦΘΕΙΡΟΥΣΙΝΗΘ legantur in quattuor versuum serie, quorum reliqui, etsi certe restitui nequeunt, colorem redolent tragicum. Qua re et alio fragmento Euripideo in eadem papyro asservato (*El.* 367—379) adducti editores Euripidi versum tribuerunt. In catena codicum alii Euripideum dicunt: Socr. *Hist. Eccl.* III 16 p. 155 d, alii Menandreum: Hieronymus VI fol. 148 d, V fol. 86 d, VIII 185 b, 248 c, Photius *quaest. Amphiloch.* 151 (Mai *script. vet. nov. coll.* IX 102, sine auctoris nomine Paulus l. l., quo loco tamen H. Stephanus in codice vetustissimo adscripta repperit haec: Μενάνδρου τοῦ κωμικοῦ γνώμη ἐν Θαδίᾳ (Θαΐδι), Clem. Alex. *Paed.* 2, 6, 55, *Strom.* 1, 14, 59 (τραγικὸν ἰαμβεῖον), cf. similem Diodori locum 16, 54. Memoria duplex optime explicatur, quod, ut plerumque fiebat, mutuatus est Comicus a tragico poeta versum. Versus efficit fr. 218 Kock, fr. 1013 Nauck, Mon. 738. Cf. Aemilius Sehrt, *De Menandro Euripidis imitatore*, Gissae 1912, p. 42 et notam praecedentem. Probabile est eundem versum notissimum in pluribus anthologiis et gnomologiis locum occupavisse, sed a Paulo e libro in schola grammatistarum usitato, eo scilicet, qui et auctoris et fabulae nomine carebat, commemoratum esse. Jagićii (l. l. p. 39) versus *tt* (*...spricht dem Anscheine nach von einer* συμβουλία πονηρά *welche* τοὺς λόγους *oder* τὰ ἔτη διαφθείρει?), in quo, ut recte vir doctus observavit, Mon. 709 latet: ῥήτωρ πονηρὸς τοὺς νόμους (HD λόγους) λυμαίνεται, contaminatusne est cum versu laudato? Cf. etiam Guéraud-Jouguet, *Livre d'écolier*, XXVI.

[40] Monumentum, quod Eumeniae repertum est, legitur in Boeckh-Franz CIG vol. III, Berolini 1853, p. 29 sub numero 3902 *r*. Inde a versu 12 haec legimus: καλὸν || τὸ γηρᾶν καὶ τὸ μὴ γη||[ρ]ᾶν τρὶς χείρω κακόν. καλ||ὸν τὸ θνήσκειν οἷς τὸ || ζῆν ὕβριν φέρει, παρ[ὸ]ν τὸ || γῆρ[α]ς καὶ φέρει προσ[ω]||πεῖον. Duo versus priores Monosticha sunt 283 et 291. Editor monuit, ne titulus Christianus putetur, etsi *sententias* praecedunt haec: ὃς δὲ ἂν ἐπιτηδεύσει, ἔσται αὐτῷ πρὸς τὸν ζῶντα θεὸν καὶ νῦν καὶ ἐν τῇ κριτίμῳ ἡμέρᾳ. De tituli tempore nihil ab editore adnotatum est. Nescio an de monumentis unâ editis (et fortasse unâ inventis) concludi aliquid possit, quorum vetustissimum 3902 *b* post annum a. Chr. n. 11 exaratum est. Titulus igitur I p. Chr. n. saeculo posterior esse non videtur. Cf. etiam G. Kaibel, *Epigrammata Graeca...*, Berolini 1878, No. 426, *CGF* ed. minor *Addenda et corrigenda*, *CGF* ed. maior vol. V *suppl. addendorum*.

[41] Primum edita in commentariis q. i. Hermes 63 (1928) p. 100 sqq., tum in Pap. Iand. fasc. V 180 sq., No. 77 (imago in tab. XII). Cf. etiam quae de hac papyro Koerte, A. f. Pap. X (1932) p. 56 No. 731 scripsit.

ab Ω littera incipientes, quarum tres (in papyro 6, 7, 8) iam sylloge Jagićii (et procul dubio eius Graecum exemplar deperditum) eodem ordine habuit (σσ, ττ, υυ). (Longe iam absumus ab ea origine corpusculi, quod saeculo X exstitisse Kock sibi persuasit). Vetustissimum tamen collectionis gnomarum exemplar nuperrime a Georgio Manteuffel publici iuris factum est in commentariis q. i. Journal of Juristic Papyrology [42].

Quae omnia in disputationis capitibus insequentibus tractabimus. Cum tamen Monostichorum fata tractanda susceperimus, retineri non possumus, quin etiam totius id genus quaestionis fundamenta vel paucis verbis commemorentur. Nunc de omnium Graecorum gnomologiorum historia atque origine dicam: quae quidem quaestio Ritschelii disputatione q. i. *De Oro et Orione*[43] primum incepta post alias virorum doctorum disputationes multis in libris dissipatas receptaculum uberrimum in Antonii Elter invenit opusculo decem (vel potius undecim) indices Bonnenses ornante[44]. Cuius operis fasciculi solum singuli, quod vehementer doleo, propter damna bibliothecarum nostrarum bellico tempore allata mihi usui esse potuerunt. At iam iis, quos legi, fasciculis ratio et via in huiusce generis quaestionibus tractandis satis superque demonstratur. Papyrorum ope, de quibus nuper pauca feci verba, factum est, ut post saeculum undevicesimum non tanta viris doctis, quanta prius doctrina et studio opus esset, quod parvo temporis spatio nova fragmenta in lucem iterum atque iterum prodirent atque ad quaestiones dilucidandas haud parum conferrent. In iis, cum primum Gustavus

[42] Georgius Manteuffel, *Papyri e collectione Varsoviensi. Series nova* in The Journal of Juristic Papyrology II (1948) pp. 81—110, ubi hoc fragmentum tertio loco pp. 87—91 tabella phototypica post p. 88 adiecta editum est.

[43] Friedrich Ritschl, *De Oro et Orione commentatio. Specimen historiae criticae grammaticorum graecorum*, Wratislaviae 1834 = *Opuscula philologica* vol. I, Lipsiae 1866, pp. 582—673.

[44] Antonius Elter, *De gnomologiorum Graecorum historia atque origine.* Operis, quod inter varios scholarum Bonnensium indices dispersum est, quorum singulos tantum in bibliothecis invenire potui, habeas velim rationem (partes, quae usui mihi esse poterant, asteriscis notantur): I. p. 1—69 Natal. imp. ind. 1893, II. 69—108 ind. schol. aest. 1893*, III. 109—137 S. Memoria reg. Fr. Guil. ind. 1893, IV. 137—148 ind. schol. hib. 1893/4*, V. 149—177 Natal. imp. ind. 1894*, VI. 177—205 ind. schol. aest. 1894*, VII. 205—217 Natal. imp. 1895, VIII. 217—229 ind. schol. aest. 1895, IX. 229—254 ind. schol. hib. 1895/6, corollarium ind. schol. hib. 1894/5, ramenta Natal. imp. 1894 pp. 1—40*.

Adolphus Gerhard[45], vir de iambographis antiquis optime meritus, observationes aliquot perspicacissimas ad originem gnomologiorum spectantes fecisset. Anglorum vir doctus A. D. Knox libello q. i. *The First Greek Anthologist* id sibi proposuit, ut primarium inveniret anthologiorum auctorem atque comparatis fragmentis Cercidam Megalopolitem pro hoc auctore habendum esse dixit. Denique in hac quaestione tractanda fructui nobis fuit disputatio supra laudata, quam Constantinus Horna anno 1935 publici iuris fecerat.

Quae omnes quaestiones etiam nunc philologiae partibus obscurissimis attribui possunt, quod inde ab antiquis temporibus parvi censebantur huius modi syllogae, quae scholae semper utilissimae erant, raro autem ab eruditis et viris doctis tractabantur, materiam continentes usu vel maxime tritam. Nullo modo unius hominis cura opera studioque fieri potest, ut tot quaestiones difficillimae solvantur, etsi unius opus est, qui dispersa studia dirigat et coniungat.

Alia, qua procedere possumus, via in gnomologiis rimandis ad poetae vel poetarum indolem animumque cognoscendum ducit. Quae iam non gnomologia singula, sed gnomas ipsas vel earum quasi circulos respicit, ponderat, investigat. Viri docti, qui eam ingressi sunt viam, saepissime ex antiquorum poetarum et scriptorum scriptis usque ad nostra tempora servatis sententias singulas excerpserunt, quibus comparatis totam poetae opinionum sententiarumque aedem, ut hac utamur comparatione, exstruebant, vel etiam orbem sententiae gnomicae poetarum temptabant formulis concludere, genera aliquot gnomarum statuere, gnomarum numerum et frequentiam apud singulos auctores in singulis operibus describere. Qui gnomologiorum memoriae investigandae inservit, etiam hanc viam neque despicit neque contemnit, nam haec et illa ad maiora tendunt. Etiam gnoma genus est sapien-

[45] Cf. Gustav Adolf Gerhard, *Phoinix von Kolophon. Texte u. Untersuchungen*, Lipsiae-Berolini 1909. Cuius libri in capite *Die gnomische Poesie der Hellenistenzeit* pp. 228—284 (cum supplementis addendisque pp. 290—292) permulta invenies nostris studiis utilia. Cf. eiusdem viri docti ΧΑΡΙΤΟΣ ΓΝΩΜΑΙ. Sitzungsberichte d. Heidelberger Akademie d. Wissenschaften, Philosophisch-historische Klasse 1912 (13 Abh.) pp. 1—34 et RE IX 1 (1914) s. v. *Iambographen* coll. 659—669. De Gerhardi studiis plura leges in capitibus insequentibus. Cf. etiam Koerte, Gnomon 13, 1937, pp. 645—652, qui in dissertationis Caroli Claus, *Die Adjektiva bei Menander*, censura de studiis Gerhardianis plura fecit verba p. 647.

tiae antiquorum, quod vivum ad nostra servatur tempora *volitans per ora virum*, vivit in nostro etiam proverbio, in thensauro omnium nationum, quarum cultus atque humanitas e Graeco sumpta sunt fonte[46]. Heredes sumus in his, sicut in reliquis rebus. Gnoma antiqua fons est saepissime vel etiam stimulus cum sapientiae popularis, quae ex. gr. tantum valet apud Germanos (*Sprüche*), tum maiore arte imbutae sententiae (haud raro paradoxi) Romanicae. Sapientia gnomica et iocus gnomicus tritâ scholarum viâ defluxerunt in nostra dicta, in nostras facetias et saepissime maiora presserunt in hominum aetatis posterioris animis vestigia, quam superiora illa et celebrata artis et litterarum monumenta. Vixit vivit vivetque sententia antiqua in ore populi, qui veterem sapientiae suae esse originem ne divinando quidem suspicatur.

II. Quaestiones selectae.

A. Tabula Epiphaniana No. 615.

Inter ostraca ab Americanis viris doctis in monasterio Epiphanii Thebano reperta (nunc in Museo Metropolitano Novi Eboraci asservata) tabella calcaria exstat saeculo p. Chr. n. VI—VII con-

[46] Cf. libellum gratissimum Th. Sinko, *Klasyczne przysłowia w polszczyźnie*, Leopoli-Varsoviae (1939), qui quamquam potius ad proverbia antiqua in nostrum intexta sermonem spectat, ad summam huius modi quaestionum haud parum contulit. Ibi et Menandrea invenies — non multa quidem p. 111 sq. quae ad Mon. 304/5 spectant

κακὸν φυτὸν πέφυκεν ἐν βίῳ γυνή
καὶ κτώμεθ' αὐτὰς ὡς ἀναγκαῖον κακόν

(zło konieczne), cf. etiam Menandri fr. 651 Kock; p. 99 proverbia leguntur Polonorum Monosticho 538 similia: χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα κ' Ἅιδου πύλας. Invenies etiam Menandri genuina: p. 75 *Z komediopisarza Menandra* (*z III w. przed Chr.*) *przetlumaczył Erazm jeden wiersz jako przysłowie: Praestat canem irritare quam anum* (*Potocki Mor. I str. 362*) = Men. fr. 802 Kock πολὺ χεῖρόν ἐστιν ἐρεθίσαι γραῦν ἢ κύνα. Addamus quod et alea illa Caesariana (de quo versu Sinko l. l. 113 et n. 46) vere Menandrea est fr. 65, 4 Kock ἀνερρίφθω κύβος. Librum classicum de ἐπῶν πτεροέντων origine et historia Georgius Büchmann scripsit q. i. *Geflügelte Worte*. Menandrea in librum, qui thesaurum efficit paroemiographicum Germanorum, recepta haec sunt: fr. 651 Kock, cf. quae supra ad Mon. 304/305 adnotavimus; tum Mon. 422:

ὁ μὴ δαρεὶς ἄνθρωπος οὐ παιδεύεται

(quem versum Ioannes Wolfgang Goethe in fronte libri, quem de vita sua scripsit, posuit: *Wer nicht geschunden wird, wird nicht erzogen*; denique Mon. 425 (= fr. 125 Kock):

ὃν γὰρ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.

Menandri fragmentum „aleatorium" cf. supra.

scripta, nunc quidem numero 615 (MMA 14 I 210) signata[47]. Quae tabula, characteribus haud parum detritis uncialibus maioris formae exarata, nunc omnibus angulis caret atque tota sale quodammodo adesa est. Evelyn G. White tabulam hanc examinans sententias q. d. Menandri ibi inesse perspexit[48]. Whitii recensione examinata statim animadverti tabellam non satis diligenter editam et longe ab ea remotam esse perfectione, qua fragmenta papyracea a viris doctis publici iuris fieri solent. Tabella bis est typis impressa, primum p. 135, qua tamquam imago repraesentatur formae, quae nunc exstat, tum p. 321, qua iam versus singuli leguntur maiorem partem suppleti adnotatiunculis brevissimis utroque loco additis, quae adnotatiunculae p. 135 ad scripturae formam et rationem palaeographicam spectant, p. 321 autem solas notas textui restituendo necessarias continent. In margine versuum Meinekiani numeri sunt adiecti. Aliquot versus, ut infra apparebit, p. 135 aliter atque p. 321 restituti sunt. Pagina 320 commentarium brevissimum, qui praefationis vice fungitur, exhibet. Quae tamen pauca verba iam mendis scatere scito.

Propter ipsum titulum (*Sentences from Menander*) iam in falsam semitam deferimur, cum post Meyeri, Sternbachii, tot aliorum disputationes Monostichi gnomae Menandro sine ullo discrimine tributae sint. Cum etiam infra vir doctus sententias

[47] *The Metropolitan Museum of Art Egyptian Expedition. The Monastery of Epiphanius at Thebes. Part II.... Greek ostraca and papyri edited with translations and commentaries* by H. G. Evelyn White, Novi Eboraci 1926. Cf. Koerte, Archiv für Papyrusforschung 11 (1935) p. 264 No. 812.

[48] Qua de tabella cum primum in Alfredi Koerte relationibus ad papyros pertinentibus legi cumque ex eis, quae Koerte scripserat, cognovi a discipulo eius Carolo Zauzich editionem accuratiorem tabulae illius praeparari, vestigia disputationis annuntiatae inter libros editos frustra quaesivi (exceptis quae infra ad sent. 6 n. 50 adnotantur). Et cum postea occasione data Koerte nusquam illius editionis mentionem fecerit, pro certo fere habeo dissertationem neque scriptam neque foras editam esse. At fragmentum haud exiguum, quod XXXIX sententias continere Koerte dixit, nullo modo mihi hanc disputationem scripturo omittendum erat.

Quoniam editionem Americanam post tot damna bibliothecarum nostrarum bello allata invenire non poteram, ad contubernales olim philologos Leopolienses Mariam et Stanislaum Akielaszek scripsi nunc Novi Eboraci inhabitantes, qui summa liberalitate non solum, quae ad textum spectant, e libro diligentissime exscripserunt, sed etiam imagines editionis phototypicas faciendas curaverunt atque benignissime mihi miserunt. Quibus hoc loco grates debitas ago.

tractatas iisdem vocibus „Menandri sententiarum" denominaverit, dubitare non possumus, quin eas germanorum Menandri versuum loco habuerit. Qui vir tabellae sententias in sylloga maiore a Meinekio edita maximam partem inveniri, sed paucas huic fonti attribuendas non esse scripsit. Ergo sententiarum monostichorum farrago ante hos centum annos ab Augusto Meineke e quattuor codicibus coacervata sylloges maioris vice fungeretur secundum Evelyni G. White sententiam, supplementum ex Aldina depromptum minorem nobis et diversam praeberet collectionem. Comicorum Graecorum editiones repetitas, supplementa sententiarum iis adiecta, Meyeri, Sternbachii, Jagićii, Kockii curas ignorasse videtur Evelyn G. White, quae tamen, ut infra demonstrabitur, etiam in mutilatis sententiis restituendis haud parvo adminiculo viro docto esse potuerunt. E papyraccis sententiarum fragmentis editor papyrum Bouriant et minores quosdam textus laudat (cf. notas 34, 35), qui tamen ad restituendas sententias tabellae Epiphanianae nihil videntur contulisse.

In tabella XXX linearum vestigia asservantur, in quibus continuo ordine XXXVII—XXXIX sententiae scriptae sunt[49].

V. 1 duas **sententiae 1** voces ultimas nunc praebet, quae sunt: φόβος Θεοῦ (in editione φοβὸς!). Sententiam editor restituere supersedit, sed in apparatu Meinekii adnotationem laudavit ad Mon. 53 = ἀρχὴν νόμιζε τὸν Θεὸν φοβεῖσθαι factam. Meinekii verba haec sunt: *est Christiani hominis foetus. Sententiam requiro fere hanc*: ἀρχὴν σοφίας νόμιζε τοῦ θεοῦ φόβον.

Quibuscum conferas velim sententiam in supplementis addendorum e sylloge Florentina a Piccolos edita (p. 288) laudatam: ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιοῦ θεόν. Quae tamen sententia Gregorii Nazianzeni genuina est e carmine, cui inscribitur: Στίχων ἡ ἀκροστιχὶς τῶν πάντων στοιχείων ἑκάστου ἰάμβου τέλος παραινέσεως ἔχοντος, petita *Carm.* I 2 n. 30 Patrol. Gr. vol. XXXVII p. 908 sqq., cf. etiam Sternbach, *Curae* p. 23. Sententiam Gregorianam ad Menandreas q. d. restituendas fructui fore nemo est, qui miretur, cum naturam huiusce modi quaestionum cognoverimus cumque dictum sit de Nazianzeno, qui alienis fontibus hortulos suos inrigasset (*Curae* p. 24), cum denique hoc loco sententiarum seriem habeamus saeculo VI vel VII p. Chr. n. in monasterio Christiano Aegypti scriptam. Quibus saeculis plerumque

[49] Lineas singulas numeris Latinis designabimus, sententias vero Arabicis.

ipso seriei initio (nonnumquam etiam ordine alphabetico neglecto) ea ponebantur, quae ad Deum eiusque in vita vel disciplina hominum partem supremam spectabant. Qua re fusius exposita superest, ut supplementum nobis placere admoneam hoc:

ἀρχὴ σοφίας τε καὶ τέλος] φόβος θεοῦ

cf. e. g. *Vetus Test. Prov. Salom.* 1 7: ἀρχὴ σοφίας φόβος κυρίου (ad sensum confer etiam Sternbach, *Georgii Pisidae carmina...* p. 60 v. 69 (ϑ 3) θεὸν φοβεῖσθαι πᾶσιν ἐκ ψυχῆς πρέπει).

Cui aptissime adiungatur **sententia 2** (v. I/II) ab editore certo recognita tamquam gnoma 1 papyri Bouriant 1:

ἀρχὴ μεγίστη τοῦ φρονεῖν τὰ γράμματα.

Sent. 3 (v. II/III) p. 135 formam: [ΑΡ]ΧΗΣ ΑΠ[ΑΣΗΣ ....].ΚΑ

p. 321 vero formam praebet hanc:

ἀρχῆς ἀπ[άσης? . . . . .].κα.

Versum Urbinatis Λ 8 (Meyer, *Urbinatische Spruchsammlung* p. 424):

ἀρχῆς ἁπάσης ἡγεμών ἐστι (scr. ιν) λόγος

hoc loco subesse putarem, nisi ΚΑ litterae servatae essent, quae neque ad hunc neque ad insequentem versum quadrant. Sin vero scribae neglegentiam respiciamus (cf. lineam VI qua ΑΙΟΥ pro ΔΙΚΑΙΟΥ scriptum, ΚΕΙΝΕΤΑΙ pro ΓΙΝΕΤΑΙ, lin. VII ΤΕΝΑΜΕΘΑ pro ΔΥΝΑ[ΜΕΘΑ et multa alia tabellae menda), putaverimus sane hoc loco vocabuli cuiusdam a scriba adiecti mutilati vestigia latere, fortasse illius ΚΑΙ, quod sententias coniunxerit vicinas.

Sent. 4 (v. III) ab editore certe recognita = Mon. 27.

Sent. 5 (v. IV) p. 135: ....].ΘΑ ΠΡΟΘΥΜΩΣ [....]Α.Θ..[...

Quem versum interlinearem esse editor opinatus est.

P. 321: ἀ]γαθὰ προθυμως [.....]α.χεθ[....

Versus mea quidem sententia procul dubio tamquam Mon. 565 (i. e. prima sententia supplementi I CGF, quod tabellae editori ignotum erat) agnosci potest:

Mon. 565: ἀγαθὰ προθύμως καὶ λάλει καὶ μάνθανε.

Eadem sententia hoc loco, si rationem palaeographicam potius respicimus, vocum ordine paulisper immutato ac mutilato metro evadit:

ἀγα]θὰ προθύμως [καὶ μ]ά[ν]θ[ανε καὶ λάλει.

Sent. 6 (v. V), ipsa quoque foedissime mutilata, p. 321 omnino omittitur, p. 135 autem modo notatur hoc:

? ? . . ΟΣ . ΟΥΚ ΕΣΤ [? ?

Etsi verba certa ratione restitui nequeunt, tamen hoc loco Mon. 74 inesse suspicor, quem etiam papyrus Bouriant secundo loco praebet:

Mon. 74 βίος βίου δεόμεν]ος ⟨.⟩οὐκ ἔστ[ιν βίος[50].

Sent. 7 (v. VI) p. 135 corrupta:

Β[Ι]ΟΥ ΑΙΟΥ* ΚΕΙΝΕΤ[ΑΙ] ΚΑΛΩΣ**

(ubi adnotationes editoris leguntur: * pro ⟨ΔΙΚ⟩ΑΙΟΥ et ** lege ⟨τέλος⟩ καλόν) iure quidem mea sententia tamquam Mon. 67 suppletur:

Mon. 67 βίου δικαίου γίγνεται τέλος καλόν.

Sent. 8 (v. VI/VII) = Mon. 64 et ita edita.

Sent. 9 (v. VII/VIII) = Mon. 93. Sic editum.

Sent. 10 (v. VIII/IX?) = Mon. 98 editor. Sed cum versus restitutus sit propter solas litteras ΓΑΜΕΙ in capite servatas, res tota dubia est: nam exstant etiam alii versus, qui ad hunc locum vel optime quadrare videntur, e. g. Mon. 91:

γαμεῖν ὁ μέλλων εἰς μετάνοιαν ἔρχεται.

Si rationem habemus loci, quo non solum inventa, sed etiam scripta esse existimatur tabula — monasterium dico — supra allatus versus imprimis aptus videtur, qui hoc loco eligatur[51].

Sent. 11 (v. IX/X) p. 135:]ΓΗΝΕΚΙ ΠΙΣΤΗ* Κ[

Nota editoris: **Sic.*

— et p. 321 γυναικὶ πίστῃ κ[. . . . . *

Nota editoris: *? = 86 γυναικὶ μὴ πίστευε *in corrupt form.*

Mon. 86 γυναικὶ μὴ πίστευε τὸν σαυτοῦ βίον. Fortasse et hoc loco alius quidam trimeter latet, cf. Mon. 161:

ἐν γὰρ γυναιξὶ πίστιν οὐκ ἔνεστ' ἰδεῖν.

Sent. 12 (v. X) p. 135:

]ΟΣ ΑΝΗΡ* ΠΑΝΤΑΧΟΥ ΑΑ[. . .

Nota editoris: ΑΝΗΡ: *the first syllable (which should be long) is very doubtful.*

---

[50] Quod iam Carolus Zauzich observavit, cf. Koerte, Archiv f. Papyrusforschung XI p. 264.

[51] Ne tamen nimio plus ponderis ei rei tribuas, scito plures laicas sententias in eadem tabella exaratas esse (cf. praecedentem versum et Mon. 371, qui hac serie exemplum praebet sententiae a N littera incipientis).

p. 321:]ος ἀνὴρ πανταχοῦ λα[λεῖ?

Inter sententias corruptas, a Gulielmo Meyer, *Nachlese* p. 372, excerptas, legimus haec: Δίκαιος ἐὰν ἦς πανταχοῦ λαληθήσῃ **KP**; ἦς **P** εἶ **K**: λαληθῆς Boissonade. Eundem versum tabulae subesse censeo ita scriptum:

δίκαιος ἀνὴρ πανταχοῦ λα[ληθήσει.

Quae sententiae forma corruptelam versus pristini, qui fortasse ἀνὴρ δίκαιος κτλ. fuit, ostendere videtur, sicut me liberaliter Victor Steffen admonuit. Corruptela metrica facile hoc semibarbaro iam tempore nasci poterat. Clausulam politicam, quae trimetro opprobrio esse potest, si tollere in animo habebimus, fortasse ita scribendum est:

ἀνὴρ δίκαιος πανταχοῦ λαλητέος.

Sent. 13 (v. XI) p. 135:]Ν ΠΑΛΑΙΑ ΜΕΤΑΨΕΤΑΙ*

Nota editoris: **Sic. The final* Λ *of* ΠΑΛΑΙΑ *is perhaps a mere accidental marle.*

P. 321: .....] παλαιὰ μετάψεται (sic)

Mihi non liquet. Quae quidem reliquiae fortasse cum versu quarto papyri Bouriant comparandae sunt:

δένδρον παλαιὸν μεταφυτεύειν δύσκολον.

Qui versus effieit fr. Philemonis 147 (Kock) apud Antonium in *Melissa* ita scriptum: δένδρον γὰρ et μεταφυτεῦσαι.

Sent. 14 (v. XII) = Mon. 128 editor.

Sent. 15 (v. XIII) p. 135 .....] Σ ΑΙΙ[Α]ΝΤΩΝ ΤΩΝ Δ.[...

p. 321 ἔρως] ἁ[π]άντων τῶν δ[ιδαγμάτων κρατεῖ = 214, sed vox ἔρως pro ἡ φύσις, quod in Meinekii editione legitur, posita est. Primum observandum est numerum Monostichi 213, non 214 in censum venire, tum vocem ἔρως pro φύσις nimis incaute positam esse. Fortasse ἔθη δ'] ἁπάντων τῶν διδαγμάτων κρατεῖ, quae sententia Monostichi sensui adversaria artius tamen hoc vinculo conectitur, quam quaelibet alia. Cf. e. g. quomodo Aristoteles vocem ἔθος voci φύσις opposuerit, *Eth. Nic.* 10, 9, 6: γίνεσθαι δ' ἀγαθοὺς οἴονται οἱ μὲν φύσει οἱ δ' ἔθει, οἱ δὲ διδαχῇ.

Sent. 16 (v. XIV) p. 135: .....] ΤΟΣ ΕΣΤΙ ΑΝΘΡΩΠΟ[et p. 321: ἔθους δὲ βάσα]νός ἐστι⟨ν⟩ ἀνθρώπο[ις χρόνος = Mon. 219. quo ἔθους pro ἤθους positum est. Mea quidem sententia versus recte restitutus est.

Sent. 17 (v. XIV/XV) p. 135: ....]ΟΝ ΕΣΤΙ ΤΟΥ ΛΑΛΕΙΝ

et p. 321: .....κρ]ει τ[όν] ἐστι τοῦ λαλεῖν.

Non est dubium, quin hoc loco cum eodem sensu res sit nobis, qui in tot versibus *Monostichorum* seriei adnumeratis occurrit:

Mon. 290 κρεῖττον σιωπᾶν ἐστιν ἢ λαλεῖν μάτην

Mon. 484 σιγᾶν ἄμεινον ἢ λαλεῖν ἃ μὴ πρέπει

vel κρεῖττον σιωπᾶν ἢ λαλεῖν ἃ μὴ πρέπει (Aldina — Γ).

Mon. 221 ἡδὺ σιωπᾶν ἢ λαλεῖν ἃ μὴ πρέπει

Vind. 3 apud Schneiderum, **PV** cap. LXIII, cf. Sternbach, *Menandrea* p. 21 sq. ἢ δεῖ σιωπᾶν ἢ λέγειν ἀμείνονα

Mon. 208 ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον ἢ σιγὴν ἔχε

cap. LXIII (*Menandrea* 22) οὗ δεῖ σιωπᾶν καὶ λαλεῖν ὅπου χρέων

Mon. 417 οὐκ ἔστι σιγᾶν αἰσχρὸν ἀλλ' εἰκῆ λαλεῖν

Mon. 387 νέοις τὸ σιγᾶν κρεῖττόν ἐστι τοῦ λαλεῖν

Versus ultimo loco allatus optime librum in ludo usitatum sapere videtur. Sed cum inter duos versus legatur, quorum unus ab E littera, alius a Z incipit, necesse est eum alterutram earum litterarum in fronte gerere. Itaque hoc loco sententiam esse crediderim hanc:

ἐνίοις τὸ σιγᾶν κρ]εῖτ⟨τ⟩όν ἐστι τοῦ λαλεῖν.

Quae sententiae forma (ordine vocum κρεῖττόν ἐστι mutato) re vera secundum Meyerum, *Urbinatische Spruchsammlung* p. 439, in **VP**: ἐνίοις τὸ σιγᾶν ἐστι κρεῖττον τοῦ (τὸ **P**) λαλεῖν, et in Γ: ἐνίοις τὸ σιγᾶν ἐστι κρεῖττον τοῦ λέγειν scripta occurrit.

Sent. 18 (v. XV/XVI) = Mon. 194 editor.

Sent. 19 (v. XVI) = Mon. 203 editor.

Sent. 20 (v. XVII) = Mon. 230 editor.

Sent. 21 (v. XVIII) p. 135: ΙΣΟΝ ΘΕΩ ΣΟΥ Τ]ΕΙ[Μ]ΑΝ ΤΟΥΣ ΓΟΝΕΙΣ [ΘΕΛΕ

p. 321: [ἰ.....] ει [.]. τοὺς γονεῖς = 270?

Mon. 270: ἱκανῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

Versus p. 135 servatus sine dubio e Mon. 270, adhibito etiam Mon. 269: ἴσον Θεῷ σου τοὺς φίλους τιμᾶν θέλε, restitutus est. Ad sensum confer haec:

Mon. 238 θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονοῦσιν οἱ γονεῖς

Mon. 155 ἔλπιζε τιμῶν τοὺς γονεῖς πράξαι καλῶς.

Conferas velim Monosticha 378 et 379, quibus legimus:

Mon. 378 νόμος γονεῦσιν ἰσοθέους τιμὰς νέμειν

Mon. 379 νόμιζε σαυτῷ τοὺς γονεῖς εἶναι θεούς.

Itaque si et ordinem alphabeti (versus ab I vel etiam Θ littera incipere debet, nam cum tres versus desint certe statuere non possumus, utrum a Θ I K litteris an ab I I K vel etiam ab I K K incipiant) et rationem palaeographicam (. EI .) observabimus, hoc fere modo versum supplebimus:

ἴσους θεοῖς νόμιζε] εἶ[ναι] τοὺς γονεῖς

vel etiam: θεοῖς ἴσους νόμιζε] εἶ[ναι] τοὺς γονεῖς[52].

Sententiarum 22 et 23 nec vola nec vestigium restat in tabella.

Sent. 24 (v. XIX) certa ratione ab editore suppleta est (= Mon. 328).

Sent. 25 (v. XX) p. 135: ΜΑΚΑ]ΡΙΟΣ ΕΣΤΙ ΠΑΣ Ο ΜΗ ΘΝ[

et p. 321 μακ]άριός ἐστι πᾶς ὁ ν . . θα[. . . . .

quo loco editor sententias numeris 340 et 350 signatas interrogandi signo apposito conferri iussit. Quod ut plane eluceat, eas sententias apponere in animo habeo; en tibi:

Mon. 340 μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει

Mon. 350 μακάριος ὅστις μακαρίοις ὑπηρετεῖ.

Est, quod adiciam plures:

Mon. 614 μακάριος ὅστις εὐτυχεῖ γενναῖος ὤν

Sternbach, *Curae* 21 vulgata scriptura: μακάριος ἐστιν ὁ εὐτυχεῖ κτλ.

Mon. 357 μακάριος ὅστις ἔτυχε γενναίου φίλου, cuius vulgata lectio μ. ἐστιν, ὃς ἔτυχε κτλ.

Mon. 342 μακάριόν ἐστιν υἱὸν εὔτακτον φέρειν.

Quibus adde etiam Boissonadii corruptum versum in codicibus KP (Meyer) asservatum (Meyer, *Nachlese* p. 373):

μακάριος ὅστις μὴ ἀπιστεῖν ἐπίσταται.

Boissonade proposuit haec: *Forsan* μακ. ὅστις οἶδε μὴ ἀπιστεῖν ἀεὶ *vel* λίαν. Meyer: *Das Verderbnis scheint nur in* μὴ ἀπιστεῖν *zu stecken.*

[52] Cf. etiam sententiam in ostraco quodam Aegyptiaco II p. Chr. n. saeculi occurentem (Milne, Journal of Egyptian Archaeology VIII 1922, p. 156. Sententias etiam in Georgii Manteuffel libro q. i. *De opusculis Graecis Aegypti e papyris, ostracis lapidibusque collectis*, Varsoviae 1930, p. 19 sq. invenies):

ἔοικε τιμᾶν τοὺς γ]ονεῖς ὡς τοὺς θεούς.

Ita Gilbertus Murray restituit versum, quem Koerte, Archiv f. Papyrusforschung VIII p. 259 No. 686 hoc modo supplendum esse censet:

εἰκὸς θεραπεύειν τοὺς γ]ονεῖς ὡς τοὺς θεούς.

Sternbach, *Curae* 20 sq.:

μακάριος ὅστις εὐτύχησεν εἰς τέκνα.

Quae omnia tamen nihil prosunt. Litteris vel litterarum vestigiis in tabula conservatis nisus hanc restitutionem Christiano colore paulisper imbutam exempli gratia proposuerim:

μακ]άριός ἐστι πᾶς ὁ μὴ θν[ητὰ φρονῶν.

Quod ad finem versus et sensum attinet conferas e. g. Euripidis *Bacchas* v. 395/6:

τὸ σοφὸν δ' οὐ σοφία | τό τε μὴ θνητὰ φρονεῖν.

Sent. 26 (v. XXI) = Mon. 371 editor.

Sent. 27 (v. XXII) p. 135:].HTON [..] EΥΕ

et p. 321: [ξ . . . . .] ευε

Sententiae tam pauca vestigia in tabula manent, ut de supplementis desperandum sit.

Sent. 28 (v. XXII/XXIII) = Mon. 403 editor. Sed illud TA pro Ὁ errore videlicet initio scriptum est.

Sent. 29 (v. XXIII/XXIV) p. 135: ΠΑΟΥ..Ν

]ΤΑ ΓΡΑΜΜΑΤΑ

p. 321 πλοῦ[το]ν.ν[ ]ει τὰ γράμματα

Sent. 30 (v. XXIV/XXV) ΡΟΙΙ....[.].

]ΤΑ ΓΡΑΜΜΑΤΑ

p. 321: ῥοπή [.]..[. . . . .] τὰ γράμματα.

Utramque sententiam iis adnumeraverim, quae in schola idcirco excusae sunt, ut discendi fructus pueris ostenderetur. Sensum **sent. 29** Monosticho 235 simillimum requiro, sed verbis sententiae in codice Florentino (*CGF supplementa addendorum*) asservatae expressum:

θησαυρός ἐστι τοῦ βίου τὰ γράμματα.

Mon. 721 τιμὴ πέφυκε πᾶσι παιδεία βροτοῖς et Urbinatis K 12, Meyer, *Urb. Spruchsamml.* 436:

κάλλιστα Μουσῶν φθέγγεται πλουτῶν ἀνήρ.

Sent. 30: remedium nullum invenio.

Quae sequuntur sententiae (vv. XXVI—XXX) adeo sunt corruptae, ut restitui nequeant. Duarum sententiarum initia asservata esse videntur:

Sent. 32 τέχνη δία

quocum conferas velim fortasse Mon. 495:

τύχη τέχνην ὤρθωσεν οὐ τέχνη τύχην.

Sent. 34 φαῦλος

cf. fortasse Mon. 294:

καὶ ζῶν ὁ φαῦλος καὶ θανὼν κολάζεται.

B. De papyro Berolinensi No. 16.136.

Papyrus Berolinensis, quae recenti tempore a Georgio Manteuffel in commentariis, q. i. Journal of Juristic Papyrology, publici iuris facta est, si non vetustissimum adhuc notarum collectionum sententiarum q. d. Menandri exemplum nobis praebet, at certe vetustissimis exemplaribus adnumeranda est. Quam papyrum editor ratione palaeographica diligentissime examinata saeculo p. Chr. n. secundo attribuendam esse putavit. Itaque charta Berolinensis antiquior est papyro Bouriantiana saeculo p. Chr. n. IV exarata et papyro Gissensi 348 a Carolo Kalbfleisch saeculo II/III attributa, ostraco autem a Milne edito, quod sententias acrostichias continet, fere aequalis.

Exemplari tam vetusto atque tantae ad originem Monostichorum investigandam auctoritatis editor diligentissime operam navavit et omnes versus, qui certa ratione in papyro legi possunt (vv. 3. 5. 7. 8. 9. 10. 11), restituit, reliquos probabili coniectura supplere conatus est primo versu excepto, e quo nihil nisi perpaucarum litterarum vestigia servantur. In prolegomenis breviter de florilegiis papyraceis, adhuc nobis cognitis, disputavit vir doctus, in iis, quae sequuntur, rationem, qua fragmentum Berolinense perscriptum est, exposuit. Observavit enim in versibus papyro Berolinensi servatis ordinis alphabetici, qui adhuc nobis vel certissimi Monostichorum indicii vice functus esset, nullam curam habitam esse et scribam argumentorum potius ratione usum esse sententiis, quae ad λόγον, λογισμόν, λύπην, ὀργήν spectant, collectis. Habemus igitur in Pap. Berolinensi ordinem alium atque alphabeticum. Rationem autem argumentorum inde ab antiquitate in florilegiis maioribus usurpatam esse, ut solum hoc loco Stobaeum laudemus, inter omnes constat. Ceteroqui Pap. Berolinensis papyraceis Monostichorum frustulis iam antea notis simillima est. Praebet enim cum nota iam Monosticha tum etiam Comicorum versus, qui, etsi in codicibus Monostichorum non asservantur, tamen optima fruuntur librorum memoria.

In animo nobis est plura de hac papyro verba facere, ut examinata necessitudine, qua papyrus et alia sylloges exemplaria inter sese sunt coniuncta, et observata ratione, qua perscripta est, adminicula quaedam lucremur ad ea, quae de sylloges origine vel forma antiquissima exposituri sumus. Itaque nunc editoris apparatum afferam hic illic locis parallelis auctum et adnotationibus de singularum gnomarum auctoritate amplificatum:

No. inv. P. 16136 9,5×8,5 cm II s. p. Chr. n.

δραστικον

δίκαιός ἐστιν οὐ]χ' ὁ πράττω[ν μὴ ἀδικῶς
λογισμὸς μόνος ἐσ]τὶ λύπης φά[ρμακον
οἱ μὲν ἐ]γε[ργοὶ μηδ]ὲν φοβοῦνται τοὺς π[όνους
ἆρ' ἐ]στ[ὶ συγγεν]ές τι λύπῃ καὶ βίος;
σαφὴς οὐκ ἔ]τι λογισμός, ἀλλ' ἐκεῖ τυχ[ών
λυπὴν γ]ὰρ εὖν[ους] οἷδε θεραπεύειν λόγος
νόσον] π[ολὺ κ]ρεῖττόν ἐστι⟨ν⟩ ἢ λύπην φέ[ρειν
ὀργὴ φιλούν]τ[ω]ν ὀλίγον ἰσχύει χρόνον
ὁ μέγισ]τον ἀγαπῶν δι' ἐλάχιστ' ⟨ὀ⟩ργ⟨ί⟩[ζεται
λόγῳ μ'] ἔπεισας, φαρμάκῳ σοφωτάτῳ.

1. Harum solum litterarum restant vestigia: ΔΡΑΣΤΙΚΟΝ, ad quae editor in apparatu: ἄν]δρ' ἀστικόν vel δραστικόν adnotavit. Ἀστικός semel, quod equidem sciam, in Comicorum sermone occurrit in Menandri *Heroe* fr. 9 Jensen et Körte = 868 Kock ποήσεις ἀστικὸν σαυτὸν πάλιν. Cuius tamen vocis forma genuina ἀστεῖος saepius est usitata, pro qua ἄστικον ponere potuit scriba. E fragmentis, in quibus occurrit, unum hoc loco laudetur 559, 3 Kock λέγουσι δ' αὐτὸν (scil. τὸν λόγον) ἀστεῖον εἶναι φάρμακον. Cf. quae infra ad v. 3 afferuntur.

Ergo si versum exempli gratia restituimus argumento totius frustuli perspecto, fortasse haec fere scribi possunt:

λόγος δὲ πρὸς τὸν ἄνδρ' ἀστεῖον φάρμακον.

Δραστικός, nisi fallor, a Comicorum sermone alienum esse videtur, a Tragicis autem hoc sensu δραστήριος usurpatur. Utrumque mihi hoc loco parum probabile videtur.

2. Supplevit e. g. editor Mon. 638/9 nisus:

ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν
ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλεται.

Ad sensum cf. Menandri fr. 784 οὐδεὶς πονηρόν πρᾶγμα χρηστὸς ὢν ποιεῖ e Stobaeo (Urb. p. 441 0 7. Jagić, p. 36 *bb*. Notandum est apud Jagićium post *bb* versum *cc* huius fere sensus inveniri: ὁ κάρτα φιλῶν (μάλα ἀγαπῶν) μικρὸν χρόνον ὀργίζεται, qui, ut iam ipse Jagić observavit, idem est atque Men. fr. 659,2 Kock, qui versus in Pap. Berolinensi decimo loco legitur.

3. Μόνος λογισμός ἐσ]τι λύπης φάρμακον ab editore certa ratione e Mon. 315 λ.ε.φ.λ.μ. restitutus. Gemellus fere eius frater exstat hic ὁ χρόνος ἁπάσης ἔστιν ὀργῆς φάρμακον *FCG* Mein. vol. IV p. XIII, Brunck p. 247 No. 586, Stobaeus, Jagić *ee* (animadvertas velim proximum esse hunc versum supra allatis *bb* et *cc* solo *dd* interposito). Mea quidem sententia pap. Berolinensis exemplar praebet collectionis, quae plures „affectuum" sententias e. g. ὀργῆς et λύπης continebat. Nimirum suspicio oritur a posteris vel etiam invitis versuum vocabula singula permutata atque hoc modo nova Monosticha facta esse.

Ad vv. pap. 3 et 7 (=Mon. 319 = fr. 591,3 Kock) conferas velim duos Menandri locos genuinos:

fr. 630 Kock οὐκ ἔστιν ὀργῆς, ὡς ἔοικε, φάρμακον
ἄλλ' ἢ λόγος σπουδαῖος, ἀνθρώπου φίλου

fr. 559 Kock λύπης ἰατρός ἐστιν ἀνθρώποις λόγος·
ψυχῆς γὰρ οὗτος μόνος ἔχει θελκτήρια·
λέγουσι δ' αὐτὸν οἱ πάλαι σοφώτατοι
ἀστεῖον εἶναι φάρμακον

(cf. quae ad v. 1 pap. Ber. adnotantur). Qui loci invicem a Menandro ex Euripideorum versuum imitatione expressi sunt:

fr. inc. fab. 1079 Nauck οὐκ ἔστι λύπης ἄλλο φάρμακον βροτοῖς
πλὴν ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ φίλου παραίνεσις

fr. inc. fab. 962 Nauck ἄλλο δέ γ' ἐπ' ἄλλῃ φάρμακοις κεῖται νόμῳ
λυπουμένῳ μὲν μῦθος εὐμένης φίλων.

En habes viam, qua sententiae singulae post tot permutationes in Monostichorum corpusculum irrepserunt (cf. Sehrt, *De Menandro Euripidis imitatore*, Gissae 1912, p. 51). Quae sententiae

etiam postea permutatae occurrunt, cf. libellum discipuli saec. VI p. Chr. n. Ryl. Pap. 41 (et A. f. Pap. No. 521) v. 3:

ψυχ[ῆς] οὐκ ἔστιν φάρμ[α]κ[ον πλὴν τοῦ λόγου.

4. Ab editore e. g. ita suppletur:

οἱ μὲν ἐ]νε[ργοὶ μηδ]ὲν φοβοῦνται τοὺς π[όνους

cf. Philem. 36 Mein. = 37 Kock:

πάντ' ἔστιν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον
φεύγῃ τις, ὃς πρόσεστι τοῖς ζητουμένοις.

Quaestio exoritur, possitne ad hunc versum supplendum is fructui esse, qui in sola versione Slavica traditus est (Jagić, *k* p. 24). Ipsum quoque incertum esse Jagićii verba docent haec: *Die slavische Übersetzung ist hier unklar, eine jede von den drei Handschriften zeigt kleine Abweichungen, ich würde folgende Rückübersetzung versuchen*: Δῆλον ὅτι φοβοῦνται (φεύγουσιν) τοὺς κακοὺς καὶ οἱ ἄρχοντες. *Im Slavischen steht an der Spitze des Spruches ein Verbum, welches mit* δοκεῖν *sich decken würde, lat. opinor.* Quae cum ita essent, versus a δ littera incipere debuit.

5. Certissima ratione ab editore suppletus Mon. 640 = Men. fr. 281,8 Kock.

6. ab editore e. g. ita suppletus:

σαφὴς οὐκ ἔ]τι λογισμός, ἀλλ' ἐκεῖ τυχ[ών.

Post fragmentum editum C. H. Roberts in iis, quae EKEI legebantur, inter E et K litteras vestigium I litterae inesse observavit, quod per litteras Georgio Manteuffel communicavit. Magister meus benignissime me de hac observatione docuit. Quod si verum est, nihil impedit, quominus ita litteras legamus:

ΤΙΛΟΓΙΣΜΟΣΑΛΛΑΕΙΚΕΙΤΥΧ

Versus exempli gratia ita legi possit: ὀργῆς (vel etiam λύπης) κρατεῖ λογισμὸς ἀλλ' εἴκει τύχῃ, ubi tamen TEI pro TI quin contra papyri auctoritatem ponatur, fieri nequit. De itacismo KPATI hoc in fragmento omnino cogitari non potest.

7—11 ab editore certissima ratione restituti sunt. V. 10 = Men. fr. 659,2 Kock etsi in Monostichis Meinekianis non invenitur, exstat iam in versione Monostichorum Slavica (Jagić, *cc* p. 36. cf. quae supra scripsi).

Quaestio nunc oritur, quid de fragmento Berolinensi iudicandum sit. Habemusne in hac papyro frustulum gnomologii simili ratione ac post tot saecula sylloge Planudea (Sternbach, *Menandrea* 2 sqq., 6) compositi? Vel etiam exercitium similis fere generis atque in pap. Vindobonensi 19999 servatur[53], magistri scilicet Graeco-Aegyptiaci gnomarum ordinis variatio, quae scaenam comicam imitatur? Quod per se etiam verisimile esset, si e. g. hoc loco dialogum comicum duarum personarum inesse intellegeremus, e quibus una, senex fortasse vel pater vel etiam servus philosophus (cf. e. g. Onesimi partes in Menandri *Epitr.* v. 646 sqq.) alteram de cura quadam ira alicuius effecta consolaretur, cum curarum medicinam optimam in mente sana et ratione constare doceret. Argumentum sane futile esset leveque, tale quale ingenio magistelli cuiusdam Aegyptiaci excogitari posset. Dialogum huiusce generis ita in personas distribuere possumus: versibus 1 et 2 nimis mutilatis, ut de iis nihil certi conici possit, versu 3 haberemus „senis" verba, qui alium (iuvenem fortasse) primum de consideratione tamquam unico aerumnarum remedio docet, tum eum terrore quodam mederi conatur. Cum alius nondum solacio levatus rogat, sitne quaedam cognatio inter aerumnam et vitam, denuo haec audit aerumnam consideratione curari posse. Dubitat ingemiscens contenditque multo facilius esse ferendum morbum quam aerumnam. Tum „senex" ad aerumnae causam probabilem i. e. fortasse parentum vel puellae iram verba vertit ac pro certo dicit amantium iram nec diuturnam neque gravem umquam esse. Quibus denique verbis alium convincit, qui ei morem gerit: „Verbo me persuasisti, remedio sapientissimo". Dignum est, quod eum versum unicum esse admoneam, qui per se imaginem quandam dialogi afferre videatur, cum in eo secunda persona singularis usurpetur.

[53] Cf. A. Koerte, A. f. Pap. XIV 1941 p. 127 sq. No. 972, et primos versus pap. Vindobonensis 19999 A (Koerte, A. f. Pap. XIV 1941 p. 126 No. 971: *Abgesehen von dem sinnigen Einfall, das Alphabet einmal von hinten, vom Buchstaben ω an, abrollen zu lassen, hat der Verfasser offenbar den Ehrgeiz gehabt, Eigenes zu bieten. So hat er die ersten vier Verse unter Benutzung von monost. 553:*

ψευδὴς διαβολὴ τὸν βίον λυμαίνεται

zu folgender Einheit ausgestattet:

Ὦ Φανία, μὴ πρόσεχε διαβολαῖς μάτην·
Ψ̣ευδὴ⟨ς⟩ γὰρ ἀκοὴ τὸν βίον λυμαίνεται
Χάριν διαβολῆς Ἱππόλυτος ὁ Θησέως
Φονεύε̣θ̣' ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀκριτίᾳ φρενῶν.

Sed quoniam certis caremus dialogi indiciis, nam et sententiarum initia perdita sunt, in quibus ἀντιλαβαί notentur, et in iis, quae restitutae sunt, sententiis voces huiusce modi atque e. g. „o pater" desiderantur, quae primo aspectu imaginem nobis praebeant dialogi, sat sit nobis fragmenti Berolinensis versus argumentorum ratione dispositos esse statuisse. Illud etiam magno nobis erit emolumento, nam si antiquissimum gnomologii exemplum, in papyro a Georgio Manteuffel publici iuris facta asservatum, gnomas alia ratione atque frustula aetatis posterioris ordinatas exhibet — ne iam de Medii Aevi codicibus plenioribus disputemus — et si certum est sylloges Monostichorum exemplar (id quod nostra quidem sententia luce clarius est), sequitur, ut ipsum gnomologium multo sit antiquius papyro, quae excerptum continet. Nam nisi in libro iam diu in schola lectitato ac quasi usu trito nemo hanc mutandi et denuo ordinandi artem exercere potuit. Carolus Kalbfleisch post inventam Papyrum Iandanam[54] originem gnomologiorum, quae Menandri dicuntur, saeculo I p. Chr. natum adscribendam esse docuit. Quod etiam ex ordine alphabetico, quo sunt in collectione Monostichorum dispositi versus singuli, apparere videtur, qui ordo saeculo antechristiano primo scholarum in usum receptum fuisse existimatur. Liber discipuli saeculo III a. Chr. n. exaratus, quem ante hos duodecim annos Guéraud et Jouguet publici fecerunt iuris[55], ordinem alphabeticum in disponendis materiis nondum habet. Quae tamen nos iam ad capitulum ducunt, quo de gnomologii aetate disputabitur.

C. „Epicharmeum".

In farragine sententiarum, quam collectio Monostichorum praebet, inter alia vetustiorum gnomologiorum fragmenta etiam Epicharmi sententiae occurrunt, qui poeta sicut reliqui Graeco-

[54] K. Kalbfleisch, ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΓΝΩΜΑΙ, Hermes 63 (1928) p. 102: *Er* (der Fund) *zeigt ...auch dass eine alphabetisch geordnete Sammlung solcher Einzeiler unter dem Namen des Menander ... schon im zweiten oder dritten nachchristlichen Jahrhundert vorhanden war. Ich möchte glauben, dass eine ähnliche Zusammenstellung bereits dem ersten nachchristlichen Jahrhundert vorlag...* Quem secutus Horna, RE suppl. VI col. 83, falso „saec. I ante Chr." n. pro illis posuit.

[55] O. Guéraud et P. Jouguet, *Un livre d'écolier du III^e siècle av. J.-C.* Publications de la Société Royale Egyptienne de Papyrologie. Textes et documents II), Cairi 1938.

rum scaenici gnomotypus fuit. cuius multi versus in sapientiae popularis thesaurum non multo post eius mortem irrepserunt. Ex Athenaeo XIV 648 d Axiopistum Locrensem vel Sicyonium gnomas Epicharmi[56] collegisse certiores fimus. Quarum reliquiae, ad nostra tempora traditae, sententiae tetrametris trochaicis inclusae sunt, quae tamen, ut opinionem viri doctissimi — Georgium Kaibel dico — afferam, et dicendi et cogitandi genere a vere Epicharmeis plane diversae sunt. Idem Axiopistus Canonem Epicharmeum edidisse dicitur.

In Monostichorum sylloge pro germanis Epicharmi sententiis habentur haec[57]:

Mon. 415 οὐδεὶς μετ' ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται

quae tetrametrum reddit Epicharmi fr. 283 Kaibel = 255 Olivieri: οὐδὲ εἷς οὐδὲν μετ' ὀργᾶς κατὰ τρόπον βουλεύεται, et notissima illa, e qua etiam nostrum proverbium (*ręka rękę myje...*) originem ducit:

Mon. 543 χεὶρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλοι δὲ δακτύλους[58]

ex Epicharmo fr. 273 Kaibel = 248 Olivieri ἁ δὲ χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει· δός τι καὶ λαβ' αἴ τι ‹λᾷις vel (Olivieri) λάβοις τί κα. Utraque sententia, tetrametro trochaico a Dorico poeta expressa, in collectionem Monostichorum recepta truncata est quodam modo, ut trimetrum iambicum expleret, id quod in gnomologiis saepius potest observari. His addam nunc fortasse alias duas:

Mon. 1 ἄνθρωπον ὄντα δεῖ φρονεῖν τἀνθρώπινα

Mon. 150 ἐν νυκτὶ βουλὴ τοῖς σοφοῖσι γίγνεται.

Priorem ex Epicharmo-Axiopisto sumptam puto, fr. 20 Diels-Kranz: θνατὰ χρὴ τὸν θνατόν, οὐκ ἀθάνατα τὸν θνατὸν φρονεῖν, cf. etiam Eurip. *Alc.* 799, qui inter duos medius esse videtur: ὄντας δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών[59].

---

[56] Cf. Horna, RE Suppl. VI col. 78; Manteuffel, Journal of Jur. Pap. II 1948 p. 87.

[57] Cf. Kock. *Samml.* 104 sq.

[58] Cf. Sternbach, *Menandrea* 14 sq. (ubi errore typothetae Mon. 545 excusum est).

[59] Ad versum Menandri interpretandum eiusque cum celeberrimo illo Terentiano *Homo sum, humani nil a me alienum puto* nexum cf. novissimi temporis opiniones: Ernst Bickel, Rhein. Museum N. F. 90 (1941) p. 352, idem, *Menanders Urwort der Humanität. Zum Sentenzenproblem der neuen Komödie*, Rhein. Mus. N. F. 91 (1942) pp. 186—191, Alfred Koerte. *Zu Terenz Haut.* 77, Hermes 77 (1942) p. 101 sq., Dornseiff. *Nichts Menschliches ist mir fremd*, Hermes 78 (1943) p. 110 sq.

Nunc de altero versu agam — Epicharmi fr. 27 et 28 Diels-Kranz: αἴ τί κα ζατῆις σοφόν, τᾶς νυκτὸς ἐνθυμήτεον et πάντα τὰ σπουδαῖα νυκτὸς μᾶλλον ἐξευρίσκεται — quae Monosticho sunt expressa 150: ἐν νυκτὶ βουλὴ τοῖς σοφοῖσι γίγνεται, qui tamen e germano Menandri versu defluxisse videtur, *Epitr.* cod. Cair. 35 sq.:

ἐν νυκτὶ βουλὴν δ' ὅπερ ἅπασι γίνεται
διδοὺς ἐμαυτῷ διελογιζόμην[60].

Fieri potuit, ut supra tractatae gnomae non e gnomologio Epicharmeo in gnomologium Menandreum pervenirent, sed a poeta quodam, qui Epicharmum imitatus ad sententias eius alluderet, in suum usum converterentur, postea autem una cum genuinis poetae versibus in gnomologium defluerent. Nonne apud ipsum Menandrum legimus fr. 537,1 sq.[61]:

ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι λέγει
ἀνέμους, ὕδωρ, γῆν, ἥλιον, πῦρ, ἀστέρας.

Sed pergamus porro. Graeca Epicharmi ab Ennio Latine tradita esse in libro q. i. *Epicharmus* inter omnes constat. Viri docti, qui de ratione, quae inter Epicharmum et Ennium intercederet, disputaverunt, pro certo fere habuerunt Ennium Epicharmi de natura librum convertisse. Haec sententia fuit Wilamowitzii (*Eurip. Herakles*[1] vol. I p. 29 sqq.), quem secutus est Kaibel, Epicharmi fragmentorum editor (*CGF* I 1 p. 134). Uterque vir doctissimus etiam illa Graeca verba apud Euripidem stetisse coniecit, qui Epicharmi sententias imitando expressit. Haec igitur Ennii Epicharmea, si virorum doctorum sententiam sequimur, potius Pseudo-epicharmea sunt.

At nobis, qui gnomologiorum, non auctorum rationem perspicere conamur, illa res, utcumque se habet, non est tanti momenti. Cum autem ea legerem, quae in Vahleniana editione *Epicharmi* Enniani exstant, versum animadverti hunc 48 (= Warmington 4—6) = Epich. fr. 241 Kaibel = 221 Olivieri:

terris gentis omnis peperit et resumit denuo.

---

[60] Cuius versus me benigne Georgius Manteuffel admonuit.

[61] Men. fr. 537, 1 sq. = fr. Epicharmi 239 Kaibel = 219 Olivieri (qui nescio qua ratione usus etiam vv. 3—4 fragmenti Menandrei laudat in textu fragmenti, etsi eos ab Epicharmo alienissimos et ab ipso Comico vel potius dramatis persona dictos esse apparet.

Quod fragmentum e Varrone *de l. Lat.* V 64 depromptum est: *terra Ops, quod hic omne opus et hac opus ad vivendum; et ideo dicitur Ops mater, quod terra mater. haec enim „terris etc."* [62].

Quod fragmentum [63] et duo insequentia Kaibel cum Euripidis *Baccharum* versibus 275 sqq. conferri iussit:

Δημήτηρ θεά
γῆ δ' ἐστίν, ὄνομα δ' ὁπότερον βούλῃ κάλει
αὕτη μὲν ἐν ξηροῖσιν ἐκτρέφει βροτούς
ὁ δ' ἦλθεν ἐπὶ τἀντίπαλον, ὁ Σεμέλης γόνος
βότρυος ὑγρὸν πῶμ' ηὗρε κεἰσηνέγκατο
θνητοῖς.

Plura invenies testimonia et locos parallelos ab Alexandro Olivieri congesta, *Frammenti della commedia Greca e del mimo nella Sicilia e nella Magna Grecia*, Neapoli 1930, ad fr. 221 p. 95, qui in versu doctrinam Xenophaneam inesse ostendit, *Fragm. d. Vorsokr.*[5] Diels-Kranz t. I p. 135 fr. 27:

ἐκ γαίης γὰρ πάντα καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾶι.

Idem vir doctus etiam versus Aeschyli *Choeph.* 127 sqq. attulit:

γαῖαν αὐτήν, ἥ τε πάντα τίκτεται
θρέψασά τ', αὖθις τῶνδε κῦμα λαμβάνει

et *Chrysippi* Euripideae versus (fr. 836 Nauck), qui nostra quidem sententia melius quadrant ad Epicharmei fragmenti sensum:

Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθήρ,
ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ
ἡ δ' ὑγροβόλους σταγόνας νοτίας
παραδεξαμένη τίκτει θνητούς,
τίκτει δὲ βορὰν φῦλά τε θηρῶν
ὅθεν οὐκ ἀδίκως
μήτηρ πάντων νενόμισται
χωρεῖ δ' ὀπίσω
τὰ μὲν ἐκ γαίας φύντ' εἰς γαῖαν, κτλ.

[62] Cf. Vahlen, *Ennianae poesis reliquiae*[3], Lipsiae 1928 p. CCXVIII sqq.: cf. etiam E. Bickel, *Menanders Urwort der Humanität*, Rhein. Mus. N. F. 91 (1942) p. 190.

[63] Cuius imitationem idem poeta in *Annalibus* exprimit lib. I fr. X v. 13 sq. Vahlen = 11—12 Warmington:

terraque corpus
Quae dedit ipsa capit neque dispendi facit hilum.

Euripidem imitatus est Pacuvius in *Chrysippo*, cuius fabulae fragmenta VI et VII Ribbeck (= Pacuvius fr. 107—108. 109. 110—111. 112—114. 115 Warmington) nuper sagacissime coniunxit Ladislaus Strzelecki in *Meletematon tragicorum specimine* (Eos XLII 1947, fasc. 1 pp. 35—41) cap. disputationis 3 — numeros versuum Ribbeckii laudat vir doctus). Quod fragmentum nunc ita legendum est:

(86) *hoc vide, circum supraque quod complexu continet*
(87—93) *terram: mater est ea, parit corpus, animam aether adiugat.*
(90) *quidquid est hoc, omnia animat format alit auget creat*
(91) *sepelit recipitque in sese omnia, omniumque idem est pater*
(92) *indidemque eadem aeque oriuntur de integro atque eadem occidunt.*

Quae imitatur Lucretius *de rerum natura* V 318 sqq.:

denique iam tuere hoc, circum supraque quod omnem
continet amplexu terram: si procreat ex se
omnia, quod quidam memorant, recipitque perempta,
totum nativum mortali corpore constat.
nam quodcumque alias ex se res auget alitque
deminui debet, recreari, cum recipit res

(cf. Strzelecki, l. l. 36 sq.).

Quocum conferri possunt etiam, sicut me Ladislaus Strzelecki admonuit, versus Lucretii hi:

denique caelesti sumus omnes semine oriundi:
omnibus ille idem pater est, unde alma liquentis
umoris guttas mater cum terra recepit,
feta parit nitidas fruges arbustaque laeta
et genus humanum, parit omnia saecla ferarum,
pabula cum praebet quibus omnes corpora pascunt
et dulcem ducunt vitam prolemque propagant;
quapropter merito maternum nomen adepta est.
cedit idem retro, de terra quod fuit ante
in terras et quod missumst ex aetheris oris,
id rursum caeli rellatum templa receptant (II 991 sqq.).

Euripidis tamen supra allati versus sententiam non ex Epicharmo, sed ex Anaxagora sumptam poetico colore exornare videntur, quae opinio omni suspicione libera erit, si Vitruvii locum contu-

lerimus hunc. *de architectura* VIII praef.[64]: *Euripides auditor Anaxagorae. quem philosophum Athenienses scaenicum appellaverunt, aëra et terram eamque e caelestium imbrium conceptionibus inseminatam fetus gentium et omnium animalium in mundo procreavisse, et quae ex ea essent prognata cum dissolverentur temporum necessitate coacta. in eandem redire. quaeque de aëre nascerentur item in caeli regiones reverti neque interitiones recipere et dissolutione mutata in eam recidere in qua ante fuerunt proprietatem.*

Quae omnia etsi eodem sensu dicta sunt atque Epicharmi fragmentum Latine traditum et ei simillima videntur, cum tamen voces et versus respicias, quaedam prae se ferunt, quibus ab Ennii versibus differre videantur. In Monostichorum collectione „Menandrea" leguntur tres versus, qui fragmento Enniano tam sunt similes, ut fere verbum verbo reddatur. Qui sunt:

Mon. 89 γῆ πάντα τίκτει καὶ πάλιν κομίζεται
Mon. 668 ἡ δοῦσα πάντα καὶ κομίζεται φύσις.
Mon. 539 χθὼν πάντα κομίζει καὶ πάλιν κομίζεται.

Quorum versuum primus „Epicharmeus" est vel potius proximus illi „Epicharmeo", qui tetrametro inclusus fuisse videtur. Ceteri tamen, ut saepissime fit in gnomologiis, diversam exhibent formam a gnomologis scilicet immutati, ut litteram initialem minus frequentem praebeant (Mon. 539 X pro I) vel etiam sensum paulisper immutatum (Mon. 668).

Si tamen ea, quae supra dicta sunt de versibus poetarum, qui hanc sententiam physicam amplificant, respexerimus, eam viam duplicem in castra quasi opposita ducere manifestum fiet; physicorum enim antiquorum sapientia, a Xenophane primum edolata, post ab Anaxagora recepta, ab Aeschylo et Euripide versibus tragicis expressa, denique Latinorum — Pacuvium Lucretiumque dico — Musae tradita vere poeticum colorem spiravit; eademque sententia in brevius coacta, Epicharmeis Axiopisti sententiis inclusa, una ex parte in Latina Ennii versione asservabatur, altera ex parte mutata forma metrica in ultimum hoc gnomologiorum antiquorum receptaculum irrepsit; cum alia ad astra venisset poeseos, alia in grammatistarum ludis ad ingenia puerorum formanda adhibebatur.

Hoc fere modo lucrati sumus Epicharmi fragmentum novum vel potius fr. 241 Graecam versionem. In sententiis tamen singu-

[64] Cuius loci me benigne Ladislaus Strzelecki admonuit.

laribus Mon. 89 duobus reliquis (668 et 539 dico) vetustius esse nemo est, quin concedat.

Corollarium.

Quae supra statui Mon. 89 sive „Epicharmeum" sive Epicharmeo illo proximum esse paulisper nunc mutanda vel potius corrigenda sunt. Nam cum denuo tragicorum fragmenta legerem, incidi in versum Euripideum ex *Antiopa* sumptum in Orionis florilegio servatum, fr. 195 Nauck:

ἁπάντα τίκτει χθὼν πάλιν τε λαμβάνει.

Qui versus medium, ut ita dicam, locum obtinet inter Mon. 89 et 539 et sine dubio is est, e quo utraque defluxerit sententia. Itaque, quae in fine capituli scripsimus de sententiae physicae memoria duplici in Graecorum et Romanorum litteris asservata, hoc modo corrigenda sunt, ut et forma gnomica in Epicharmeis primum obvia sub Euripidis potius auspiciis in aetatis posterioris thesaurum gnomicum irrepsisse videatur. Etiam versus *Antiopes* futuris Epicharmeorum editoribus nequaquam erit neglegendus, quem nunc neque inter Kaibelii neque inter Olivierii locos parallelos legimus.

Ad doctrinam ipsam de caeli et terrae in vita procreanda partibus, quam e Graecis sumptam fontibus Ennius, Pacuvius, Lucretius, Vergilius[65] alius ab alio sensum ac voces quodam modo mu-

[65] *Aeneis* VI 724 sqq.:

principio caelum ac terram camposque liquentis
lucentemque globum lunae Titaniaque astra
spiritus intus alit totamque infusa per artus
mens agitat molem et magno se corpore miscet.
inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum
et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
igneus est ollis vigor et caelestis origo
seminibus, quantum non noxia corpora tardant
terrenique hebetant artus moribundaque membra...

Georgica IV 220 sqq.:

esse apibus partem divinae mentis et haustus
aetherios dixere; deum namque ire per omnis
terrasque tractusque maris caelumque profundum:
hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas:
scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
omnia, nec morti esse locum. sed viva volare
sideris in numerum atque alto succedere caelo.

tuati professi sunt, conferas nunc Friderici Wolf-Hartmut disputationis q. i. *Ennius-Erklärungen*, Philologus 97 (1948) pp. 277—314 partem alteram *Die Seelenheimat* pp. 283—288. Cf. etiam O. Skutsch, *Enniana* I, The Classical Quarterly XXXVIII 3/4 (1944) pp. 79—86, praecipue pp. 84 sqq.

III. De gnomologii tempore observationes aliquot.

Quaestionibus aliquot, quae ad Monosticha „Menandrea" pertinent, examinatis quaeretur fortasse, possintne nobis hae observationes aliquid lucri ad tempus corpusculi investigandum afferre. Supra ostendimus ipsas papyros aetatem nobis prodidisse corpusculi multo antiquiorem saeculis, quibus olim fuisset tributum. Qua de re si antea versus singuli in tabulis ostracisque servati nos docebant, nunc etiam frustula papyracea extensiora continuas series sententiarum amplexa praesto sunt. Papyri antiquissimae saeculi sunt II p. Chr. n.: Iandanam dico, qua etiam vetustissima inscriptio Μενάνδρου γνωμῶν (quam nisi septem saeculis post denuo apud Doxopatrem invenire non possumus) traditur, ratione alphabetica diligenter perscriptam, deinde Berolinensem chartam nuper in commentariis q. i. Journal of Juristic Papyrology a Georgio Manteuffel editam, omnium fortasse adhuc inventarum antiquissimam, quae etsi non κατὰ στοιχεῖον exarata est, nostra tamen sententia e serie alphabetica procul dubio est exscripta. Denique illam dico, quae in commentariis q. i. Journal of Hellenic Studies publici facta a memoria „Menandri" gnomarum remotior esse videtur.

Antiquiores duae papyri Vindobonenses 19999 A et 19999, quarum altera ordine alphabetico averso (ω — α) exarata, altera, quae „scaenam comicam" vel potius „dialogum comicum" a magistello quodam Aegyptiaco sententiis monostichis pro fundamento positis excogitatum praebet, tantum nobis ostendunt gnomarum in ludo frequentem fuisse usum, qui nisi post tempus aliquod, quo libellus in schola manibus terebatur, locum habere non possit. Haud est inutile hoc loco in memoriam revocare versum Menandreum in Pauli epistola traditum (*Corinth.* I 15, 33) atque inscriptionem Eumeniae repertam, cuius etsi aetas certa non est, at procul dubio tempori inter paganam et Christianam aetatem intercedenti tribuenda videtur. Si denique corpusculi notam vel maxime conspicuam, ordinem dico alphabeticum, consideramus, qui

in ludis Graecorum saeculo II/I a. Chr. n. usurpari coepit[66] (enchiridium s. III a. Chr. n. a Guéraud-Jouguet editum nondum alphabetica ratione utitur) et qui imprimis in vocibus et sententiis ordinandis fuit usitatus, iam eo adducimur, ut corpusculi originem ineunti saeculo ante Christum natum primo adscribamus.

Monosticha „Menandrea" in omnibus ludis Graecorum tum tractabantur. Sententiae breves certe multo fuerunt aptiores ad scripturam et memoriam exercendam, quam ea, quae adhuc lectitabantur, florilegia gnomica. De librorum vicibus non possumus iudicare ea sola nixi materia, quae nobis innotuit, sed nunc iam observandum nobis est in tot inventis papyris, ostracis, tabellis gnomologicis[67] ea, quae non sunt sub nomine Menandri tradita.

[66] Primum, quod sciam, ordo alphabeticus in pap. Tebtunis II 278 observatur saeculo I p. Chr. n. ineunte conscripta, in qua indicem opificum secundum ordinem alphabeti confectum invenies (ἀρτοκόπος, βαφεύς, γναφεύς, δορεύς κτλ. et narratiunculam discipuli, in qua singulae sententiae acrostichin alphabeticam efficiunt: Ἀπόλλυταί μου [ἱμάτιον] Βίαιος ο...τλ. Γεννέως ὁ ἅρας Δέκα στατῆρων ἠγόρασε κτλ. *Tebtunis Papyri* II (ed. Grenfell, Hunt, Goodspeed). Londinii 1907, p. 33 No. 278. Confer commentarium editoris: *The second column, which is rather more ambitious, gives in laconic sentences the story of the loss of a garment, the lines again representing the letters of the alphabet in their order. These compositions recall the modern alphabetical nursery rhyme and were perhaps intended for a similar use.* Cf. etiam Bendel l. l. p. 12, Ziebarth. l. l. 18 sq. idem, *Aus dem griechischen Schulwesen. Eudemos von Milet u. Verwandtes*[2], Lipsiae-Berolini 1914, p. 126. Ordo alphabeticus in Oriente, ut videtur, ortus, postea a Christianis praecipue receptus et in scholis eorum maxime propagatus est, cf. RE I col. 1200—1202 s. v. *Akrostichis*. Si originem rationis alphabeticae in ordinandis materiis investigaturi sumus, monendum est Aristophanem Byzantium Euripidis tragoedias in recensione sua secundum titulorum litteras disposuisse (κατὰ στοιχεῖον), cf. e. g. praefationem editionis a Ludovico Méridier factae, Parisiis 1925, p. XVI, qui vir doctus Udalricum de Wilamowitz-Moellendorff sequitur, *Analecta Euripidea*, Berolini 1875, p. 143 et *Einleitung in d. griech. Tragödie*[3], Berolini 1921. (Carminum Homericorum secundum litteras dispositio mea quidem sententia non est hoc loco afferenda, quippe quae non ratione alphabetica materiem disponat, sed rationem alphabeticam rei imponat, neque est certum, litterarum an numerorum potius loco habenda sint alphabeti signa). Cf. etiam in litteris Romanorum Plauti fabularum ordinem Varronianum. In librorum conspectu Batavo (*Klassieke Bibliographie*) 1947 titulum nuper repperi disputationis, quae ad hanc quaestionem spectare videtur, quam, quod doleo, consulere potestas mihi deerat: Ralph Marcus, *Alphabetic acrostics in the Hellenistic and Roman periods*, Journal of Near Eastern Studies 6 (1947) pp. 109—115.

[67] De sententiarum in schola usu cf. Horna, RE Suppl. VI col. 79: *Sicher ist jedenfalls, dass bereits um 400 v. Chr. die verschiedenen Zweige des*

et multo rariora et saepissime aetate corpusculum Monostichorum praecedente conscripta fuisse. De genere sententiarum poeticarum loquor, quarum vel maximi momenti sententiae Epicharmi, Euripidis, Charetis fuerant. Suppressis his corpusculis collectio Monostichorum tum primum locum usque ad Byzantina tempora obtinuit ita tamen, ut multae sententiae e vetustioribus gnomologiis reciperentur. Gnomarum recipiendarum rationem ac viam supra exemplo apposito inspicere potuimus[68]. Testimoniis papyrorum et recentioris aevi codicum perspectis statuere libet gnomologium nusquam completum ac definitum evasisse, sed multis in exemplaribus traditum esse maioribus minoribusve, quarum affinitatis nexum nondum satis plane distinguere possumus. Optimam collectionis memoriam divinando suspicamur in iis, quae papyro Iandana et versionis Slavicae deperdito exemplari Graeco servabantur. Syllogen Menandri nomen prae se ferre et propter multas ipsius poetae gnomas collectioni intextas, et propter Menandri τοῦ γνωμοτύπου auctoritatem nondum exstinctam tempore, quo propagabatur sylloge, censeo. Ad propagandam syllogen haec sunt, quae nostra quidem sententia maximi fuerunt momenti: primum grammatistarum ludi in Graeca Imperii Romani parte serie continua florentes, qui sicut e tabulis, papyris ostracisque conici potest, omnes eam sequebantur erudiendi et educandi viam, ut post cognitas litteras, syllabas, voces quarto loco sententiae singulares ediscendae traderentur. Harum collectionum vel aptissimam seriem Monosticha „Menandri" q. d. efficiebant ordine alphabe-

Schulbetriebes auf Gnomologien angewiesen waren, die zur Bequemlichkeit des Benutzers frühzeitig entweder nach Autoren oder nach sachlichen Schlagwörtern, vielfach auch in alphabetischer Anordnung (quod tamen nullo modo IV a. Chr. n. saeculo fieri potuit) *zusammengestellt waren.* Sequuntur exempla gnomologiorum antiquissimorum in papyris servata. De sententiarum et praecipue Monostichorum in ludis usu cf. etiam Henri Irénée Marrou, *Histoire de l'éducation dans l'antiquité*, Parisiis 1948, pp. 218, 239, 517 n. 8.

[68] Cf. supra „*Epicharmeum*". Dignum, quod admoneam, est hoc: in florilegio pap. Hibeh 7 (cf. cap. I nota 39) post frustula quattuor versuum tragicorum, inter quos primum locum illud φθείρουσιν etc. obtinebat, sub lemmate nunc deleto olim probabiliter Epicharmi versus legebantur, id quod et metro — tetrametrum dico trochaicum — et forma Dorica conservata ἦμιν probari videtur. Praebet igitur nobis papyrus specimen florilegii Euripideo-Epicharmei annis a. Chr. n. 250—210 exaratum. Cum iam nobis innotuerint versus Euripidis et Epicharmi (aliorumque cf. e. g. Gerhard, ΧΑΡΗΤΟΣ ΓΝΩΜΑΙ), sine dubio ex antiquioribus gnomologiis in collectionem Monostichorum recepti, pap. Hibeh 7 tamquam exemplar anthologii pristini id genus facile agnosci potest.

tico digesta. Quae quidem gnomae generali quadam sapientia imbutae nulli praeter popularem ac vulgatam serviebant philosophiae; itaque etiam post Christianorum victoriam animis orthodoxis nihil in iis, quae ad mores et religionem spectant, opprobrio erat (quae res multo aliter se habuisset, si gnomae genuinae Euripidis, Menandri, Charetis erant recipiendae). Ergo immixtis paucis Christianis (exempla eius generis etiam in hac disputatione sunt allata, confer quae ad sent. 1 tabulae Epiphanianae enotavi) tempore insequenti locum in disciplina, quem olim erant adepta, obtinebant. Non abs re erit admonere discipulum, qui olim quaternionem papyri Bouriant conscripsit, Christianum fuisse, qua de re nos et cruces singulis libelli chartis appositae et formula in fine libelli exarata[69], quae inscriptionibus Christianorum tumulorum simillima est, optime edocent. Monosticha post abecedarium, syllabas, voces ediscebantur, post Monosticha fortasse fabulae Aesopiae tractabantur. Itaque etsi perpauca sunt, unde ad nostrum litterarum Graecarum studium aliquid emolumenti capi possit, tamen si viam eruditionis Graecorum puerorum sequimur atque rationem, qua animi eorum formabantur, cognoscimus, haud inutile erit libello quasi spreto ac oblivione suppresso paululum tribuere observantiae. Ante hos centum quadraginta annos Iohannes Gottlob Schneider Wratislaviae fabulas Aesopi edendas curavit et pro supplemento sententias adiecit singulares. Qua de re haec ipse in libri praefatione scripsit (p. XII): *De Auctario Menandri Sententiarum singularium ne mireris, lector, breviter narrabo, qui factum sit, ut eas fabulis Aesopiis comites dare non dubitarem...* (p. XV): *Poterunt haec omnia a me in unum corpus collecta inservire puerorum et adolescentium ingeniis in graeco sermone erudiendis variaque ratione exercendis...*

Quoniam etiam nostra memoria Monosticha libellos ornant[70] discipulorum, qui linguae Graecae elementa ediscunt, liceat nobis, ea pro vigentissimo Europae scholarum enchiridio habere.

Wratislaviae

[69] F. XI^{v} [γένοιτο ε]ὐτυχῶς τῶι [τοῦτο ἔ]χοντι καὶ τῶι
[σπουδῆι ἀν]αγινώσκοντι. [ἔτι μᾶλλον δὲ τῶι
[πάντα νο]οῦντι.

[70] Cf. notam 46. Cf. etiam sententias e. g. in enchiridiis Graecis (Kaegi, Golias) allatas.

DE RERUM MIRABILIUM NARRATIONIBUS HOMERICIS*

Scripsit

IOANNA OSTROWSKA

Multi viri docti miraculi vocis vim interpretando explanare conati sunt. Omnium sententiarum frequentissima esse Davidis Hume (*Essays* II 10) videtur: miraculum est, quod contra naturae leges pugnat. Le Roy[1], quamquam omnium opiniones refutat, omnium tamen opinionum communia congerit elementa. Inter omnes constat miraculum esse rem mirabilem, extraordinariam, quae nec sensu percipi potest nec naturae legibus satis convenire, sed potius legibus nobis ignotis obtemperare videtur. Miracula neque provideri neque repeti possunt. Qua definitione etiam „mirabilia" continentur. Sunt igitur mirabilia res extraordinariae, quae omnia praeterita, omnem hominum cogitandi vim superant et naturae legibus contraria sunt. Sunt qui affirment omnia in natura mirabilia esse, sed in ea opinione id solum continetur quod extraordinarium est. Si enim mirabilia saepius fierent, mirabilia non haberentur. Natura temporis, loci, numeri, materiae aliisque certis legibus obtemperat. Quarum gravissimae sunt materia et rerum causae aliae ex aliis aptae.

Mirabilia minime in tempore atque loco observantur, neque alia ex aliis cognoscuntur. Suis enim, ut supra dictum est, legibus parent: quae liberae sunt et ex arbitrio pendent. Scientia igitur minime illustrari vel explicari possunt. Mirabilia sunt, quae opinione nostra fieri non possunt. Quae tamen nostrae aetatis hominibus mirabilia videntur, saepius ab antiquis non pro mirabilibus habebantur, e. g. sanguinis guttae, quae ab antiquis rerum gestarum scriptoribus saepius commemorantur. Eo modo saepe accidit, ut mirabilia eadem sint atque in fabulis ficta. Quid mirum igitur, si bestiae humana voce praeditae, enses vi insolita ornati, virgulae divinae, Ditis galeae et terrae mirae ubertatis saepius apud Homerum et fabularum auctores leguntur? Si plura mirabilia inter se

* Hanc commentationem in schedis suis invenit St. Witkowski enixeque rogavit, ut publici iuris in hisce commentariis fieret.

[1] Cf. A. Lalande, *Vocabulaire technique et critique de la philosophie*, Paris 1926, vol. II s. v. „miracle".

iuncta sunt, de meris fabulis dicendum est, ut in *Odyssea* Ulixis peregrinationes, quae apud Alcinoum narrantur. Infra autem videbimus *Odysseae* narrationem a meris fabulis maxime differre. Cum eaedem res apud fabularum auctores et apud Homerum leguntur, sunt qui putent eas ab Homero desumptas esse: Rohde[2] pro certo habet narrationem de Circe in Indiae fabulas translatam esse. Mihi investigandum erit, quomodo a poeta mirabilia tractari videantur et quaenam vis eis tribuatur.

De metamorphosibus apud Homerum.

In fabulis saepe venefici metamorphoses narrantur, qui varias species, imprimis in certamine, assumit[3]. Qui veneficus non solum se, sed etiam alios in arbores vel bestias mutare potest. Ad quas metamorphoses perficiendas incantamento, aqua, cibo, virgula divina, herbis, unguentis utitur[4]. Fabularum de metamorphosibus veterrimam narrat nobis Homerus in *Odysseae* libro quarto, ubi de Proteo agitur. Qui deus a Menelao vinctus per vim ei effugere conatur, cum ipsa voluntate sua

> .....ἤτοι πρώτιστα λέων γένετ' ἠυγένειος
> αὐτὰρ ἔπειτα δράκων καὶ πάρδαλις ἠδὲ μέγας σῦς·
> γίγνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον

(*Od.* 4, 456 sqq.); denique vi victus Atrei filio futura praedicit.

Homerus et qui fabulas narrant maxime inter se ea re differunt, quod poeta noster insolita metamorphosis potestate deos ornat, alii venefícos.

Circa, quae dea et quidem δεινή appellatur, metamorphoses herbarum, cibi, virgulae divinae et unguentorum opera efficit. Cum Ulixis comites in Circae domum veniunt, dea φάρμακα λυγρά[5] cibo nec non vino miscet, quae efficiunt, ut illi patriae oblviscantur; postquam iam satis biberunt, sceptro tactos in sues mutat.

---

[2] Rohde E., *Der griechische Roman*[1] p. 191.

[3] Fr. van der Leyen, *Das Märchen*, Leipzig 1911, p. 48.

[4] L. Radermacher, *Die Erzählungen der Odyssee*. Wien 1915, p. 4.

[5] φάρμακον, quod cibo vel potui admixtum in rerum praeteritarum oblivionem homines adducit, etiam Helena *Od.* 4. 220 sqq. adhibet; de qua re Homerus talia dicit:

> αὐτίκ' ἄρ' ἐς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον,
> νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

Ad Ulixem mutandum Circa praeterea incantamento utitur. Cum denuo Ulixis comitibus humanam formam reddit dea, unguentum adhibet. Hic poeta addit eos pulchriores nec non iuniores factos esse, quod in talibus metamorphosibus saepius commemoratur[6]. In fabulis — ut supra dictum est — saepe incantamentum, unguentum, virgula divina nec non herbae commemorantur. Poeta noster, cum ipsam veneficam fecisset deam sedemque eius poetica ratione exornavisset, Circae magicam — sit venia verbo — naturam dissimulavit[7], *Od.* 4, 222 sqq.:

ὃς τὸ καταβρόξειεν, ἐπεὶ κρητῆρι μιγείη,
οὔ κεν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν,
οὐδ' εἴ οἱ κατατεθναίη μήτηρ τε πατήρ τε,
οὐδ' εἴ οἱ προπάροιθεν ἀδελφεὸν ἢ φίλον υἱόν
χαλκῷ δηιόωεν, ὁ δ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῷτο.

Helena cum herbam magicam vino admiscuisset, narratiunculam lactam de Ulixe protulit. Quo loco observandum est Homerum ratione magica non contentum praeterea ratione naturali uti[8]. Cum Ulixis socii herbam, quae λωτός appellatur, edissent, patriae oblivisci voluerunt; hic igitur consilii atque voluntatis immutationem habemus[9].

Circae agendi ratio simplex videtur ut deae, quae haram suam augere vult. Homerus in mirabilibus depingendis ultra modum quendam progredi cavet. Id quod optime ex tertio decimo *Odysseae* libro videmus. Hic[10] Neptunus Phaeacum navem ante ipsorum oculos in lapidem mutat. Quo loco docemur eundem deum insulam montibus cingere posse, ut antiquum praesagium monebat. Poeta, ne miracula augeat, nobis hoc ad oculos monstrare non vult.

Rarae apud Homerum deorum in animalia metamorphoses occurrunt. In tota *Iliade* duae[11] inveniuntur: In septimo[12] *Iliadis* libro, cum Apollo et Minerva inter se ab armis requiescere consti-

[6] Cf. Ameis-Hentze ad *Od.* 10,555.

[7] Cf. W. Schwartz, *Nachklänge prähistorischen Volksglaubens im Homer*, Berlin 1894, p. 14.

[8] Verdoppelung der Motive, Drerup, *Homerische Poetik* III p. 77.

[9] Cf. Radermacher, l. l. p. 10.

[10] *Od.* 13. 161 sqq.

[11] Falso Finsler, *Homer* I p. 401 et Wilamowitz, *Die Ilias und Homer*[2], Berlin 1920, p. 336 unam accipiunt.

[12] *Il.* 7, 59.

tuissent, vulturum figura assumpta in arbore consederunt, ut pugnam melius observarent. In libro *Iliadis* quarto decimo[13] Somnus, ut Iovis oculos effugiat, arborem ascendit. Ne in *Odysseae* quidem libris multae deorum metamorphoses leguntur: In primo libro[15] Minerva, cum ad Telemachum venisset, avis cuiusdam assumpta figura avolavit. Quae dea alio loco aquilae[16] — cui φήνη nomen est — similis discessit, postquam cum Nestore de Telemachi itinere egit: denique in libro vicesimo secundo[17] Mentoris specie deposita, cum Ulixes procos trucidat, Minerva hirundinis forma in tecti trabe considit. Semel modo[18] Minerva stellae caducae speciem induit et inter Troianos et Graecos cadit[19].

De deis nec non heroibus, qui insolita ratione evanescunt.

Apud Homerum — saepius in *Iliade* quam in *Odyssea* — homines nec non res ex aliorum aspectu evanescunt nube vel nebula tecti. Etiam Ἄϊδος κυνέη — quam interpretes varie explicant — ea vi praedita est.

Nebula vel nubes, cui insolita vis tribuitur, varie appellatur: ἀήρ[20] caligo, quae efficit, ut dii non cernantur, ἀχλύς[21] caligo, quae efficit, ut homines non cernant. In *Odysseae* libro septimo (v. 39 sqq.) Ulixes a Minerva tali caligine occultatur, ut Phaeaces eum non videant, ipse autem omnia optime videat. Quae caligo semel ἀχλύς[22], ter ἀήρ[23] appellatur, νεφέλη nebula, qua dii aut se

[13] *Il.* 14, 289 sqq.

[14] Cf. Düntzer, *Homers Ilias*, Paderborn 1866. Einleitung p. 7.

[15] *Od* 1, 320, cf. Van Leeuwen ad *Il.* 7,59.

[16] *Od.* 3,372.

[17] *Od.* 22,239.

[18] *Il.* 4,75.

[19] Cf. Düntzer H., *Homers Ilias, erklärende Schulausgabe*, Paderborn 1866, Einleitung p. 7 et Faesi-Sitzler, *Homers Iliade*. Berlin 1919, ad l. l. Van Leeuwen J., *Ilias cum prolegomenis, notis criticis, commentariis exegeticis* I et II, Leyden 1912/13 ad l. l., minime hic metamorphoses accipit, sed recte Faesi (ad *Il.* 4,75) animadvertit milites re vera stellam videre.

[20] *Il.* 3,380 sq. 5,356. 776. 8,50. 11,752. 14,282. 16,790. 18,268. 20,444. 446. 21,6 sq. 549. 597. *Od.* 7,14 sq. 139 sqq. 13,189 sqq. 352.

[21] *Il.* 5,127. 20,321. 15,668.

[22] *Od.* 7,39.

[23] *Od.* 7,15. 140. 143.

ipsos[24] aut homines[25] obtegunt; νέφος[26] eandem fere vim ac νεφέλη habet.

Nunc ad omnes illos locos interpretandos transeamus.

Apollo Aeneam atra nube obtectum e periculo servat (*Il.* 5, 334 κυανέῃ νεφέλῃ); idem Hectorem, cum ille cum Achille pugnat (*Il.* 20, 444) ἠέρι πολλῇ obtegit; etiam Agenorem, ut ei contra Achillem opem ferat (*Il.* 21, 597 ἠέρι πολλῇ) multa nube circumdat Apollo. Hectoris corpus idem conservat, ne solis radiis laedatur (*Il.* 23, 188 κυάνεον νέφος ἦγαγε). Apollo ipse magica nebula occultatur in libro *Iliadis* XV, ubi Hectorem scuto, quod αἰγίς appellatur, circumdat (*Il.* 15, 307 sqq. εἱμένος ὤμοισιν νεφέλην). In libro XVI Patroclus ab Apolline vehementi ictu a tergo percutitur, ἠέρι γὰρ πολλῇ κεκαλυμμένος ἀντεβόλησεν (*Il.* 16, 790). Deus, densa caligine opertus, fago innixus, Agenoris cordi audaciam immisit (*Il.* 21, 549 κεκάλυπτο δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ).

Venus, dum Menelaus retro conversus Paridis hastam humi iacentem corripit, Paridem periculo subducit (*Il.* 3, 380 ἠέρι πολλῇ).

Minerva, Ulixi favens, Ulixem nebula obtegit, ne quis Phaeacum eum verbis laedat. Quo modo absconditus ad Areten reginam venit, ut ab ea auxilium petat; tum demum nebula evanescit[27]. Supra iam diximus Ulixem hic omnia optime videre, quamvis et ipse nebula obtectus fuerit. Cuius rei exemplum in *Iliade* non invenitur. Semel quoque Minerva terram[28] nebula texit, ne *Odysseae* heros patriam cognosceret, postea eam dissipat[29], ut Ithacam Ulixi agnoscendam faciat. Nullum hic miraculum esset, nisi poeta deae voluntate nebulam primum contrahi, postea dissipari narravisset.

Neque Iuno quemquam ex oculorum conspectu aufert; Iunonem tamen in confluente Simoentis et Scamandri equos et currum nube circumsaepsisse comperimus (*Il.* 21, 6 sqq. ἠέρα βαθεῖαν).

Neptunus Actoris filios, quibuscum Nestor iuvenis certavit, ἠέρι πολλῇ[30] eripuit. Denique maris deus ceterique dei in aggere

[24] *Il.* 5,186. 14,350 sq. 15,307. 551. 20,149.

[25] *Il.* 5,345.

[26] *Il.* 14,343 dii occultantur. *Il.* 23,188 Apollo Hectoris corpus, ne a canibus laedatur, nebula obtegit.

[27] *Od.* 7,14 sq. πολλὴν ἠέρα. 39 sq. ἀχλὺν θεσπεσίην. 139 sqq. πολλὴν ἠέρ' ἔχων et πάλιν αὖτο θέσφατος ἀὴρ.

[28] *Od.* 13,189 περὶ γὰρ θεὸς ἠέρα χεῦεν.

[29] *Od.* 13,352 ὣς εἰποῦσα θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη ἦέρα εἵσατο δὲ χθών.

[30] *Il.* 11,752.

a Troianis et Minerva munito consederunt nube velati (*Il.* 20. 150 ἄρρηκτον νεφέλην ὤμοισιν ἔσαντο). In libro *Iliadis* XVII[31] Iuppiter, ne Patroclus ab equis laedatur, ad ipsius corpus protegendum nubem fundit, quae res his verbis commemoratur (*Il.* 17. 366 sqq.):

. . . . . οὐδέ κε φαίης
οὔτε ποτ' ἠέλιον σόον ἔμμεναι οὔτε σελήνην·
ἠέρι γὰρ κατέχοντο.....

In libro XV Iuppiter ipse nube obtectus quiescit (*Il.* 15, 153 ἀμφὶ δέ μιν θυέεν νέφος ἐστεφάνωτο).

Imprimis ad ea, quae sequuntur, animum attendere necesse est. Minerva purpurea nube[32] ornata Achivorum quemque ad Patrocli corpus defendendum excitat, dum Iris Iovis iussu Achillem propius ad Troianos accedere vetat cumque Minerva nubem auream nudo Achillis capiti circumdat, ex quo flamma clara emicuit. *Il.* 18, 205 sq.:

ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε δῖα θεάων
χρύσεον, ἐκ δ' αὐτοῦ δαῖε φλόγα παμφανόωσαν.

His locis non quae occultet nebula commemoratur, sed quae illustret grandioremque hostibus virum ostendat. Quo loco de Achillis capite agitur, ibi miraculum necesse est statuamus: Minerva enim ipso ex capite flammam accendit, quod minime[33] in *Iliadis* libro V fit, ubi ex Diomedis galea et clipeo Minerva ignem accendit.

Funditus contrariae nubis partes talibus exemplis Homericis illustrantur: heros, qui ἀχλὺν κατ' ὀφθαλμῶν habet, omnino quidquam videre prohibetur. In *Iliadis* libro XX, cum Aeneas cum Achille pugnat, Neptunus, ut Aeneam servet, ob oculos Achilli caliginem fundit et postquam ex Aeneae clipeo hastam extraxit et eam ante Achillis pedes posuit, Aeneam e campo eripit. Qua re facta ad Achillem remigrat, ut ei ab oculis caliginem dispergat. His verbis optime res explanatur, *Il.* 20, 321 sq.:

αὐτίκα τῷ μὲν ἔπειτα κατ' ὀφθαλμῶν χέεν ἀχλὺν
Πηλεΐδῃ Ἀχιλῆι.....

[31] *Il.* 17,366 sqq.
[32] *Il.* 17,551 ...πορφυρέῃ νεφέλῃ πυκάσασα ἑ αὐτήν.
[33] Cf. Wilamowitz, l. l. p. 297.

et 20. 341 sq.:

αἶψα δ' ἔπειτ' Ἀχιλῆος ἀπ' ὀφθαλμῶν σκέδασ' ἀχλὺν
θεσπεσίην· ὁ δ' ἔπειτα μέγ' ἔξιδεν ὀφθαλμοῖσιν.

De ultimo nubis apud Homerum genere in libro *Iliadis* V audimus. Hic comperimus ἀχλύν, caliginem, heroum oculos obtegere, ne deos a mortalibus discernant, *Il.* 5, 127:

ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἔλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν,
ὄφρ' εὖ γιγνώσκῃς ἠμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

Quo loco Minerva Diomedi hanc discernendi vim tribuit; qui tali potestate ornatus non solum Venerem[34] et Martem[35] hominum specie indutos cognoscit, sed etiam Apollinem[36], quamvis nube occultetur, deum esse perspicit. In quibus exemplis occultandi modum nubes praebebat. Semel apud Homerum eadem vis galeae tribuitur, quae Ἄιδος appellatur. Homerus primus hac de re agit, quae postea apud Hesiodum (*Scutum* 227), Aristophanem (*Acharn.* 390), Platonem (*Resp.* 612 b) et Apollodorum (1, 6, 2) commemoratur. Qui omnes dicunt eam tali vi ornatam esse, ut si quis eam habeat impositam, conspici non possit, nihil tamen de eius forma adiciunt. Quam ob rem nostrae aetatis viri docti de huius galeae forma dissentiunt. Omnes editores, qui hunc locum interpretantur, aut de forma galeae tacent aut idem eam valere atque ἠέρα, nubem, caliginem, putant. Quam sententiam etiam Roeger sequitur. Mihi tamen Lameri[37] sententia magis placet, qui ad verbum ἄιδος κυνέη interpretatur, cum eam galeae formam habuisse putet.

Multis testibus allatis Homerum nubis mentionem, qua dei hominesque occultarentur, facere probavimus. Si re vera Homerus de nube cogitavisset, vocem ἄιδος κυνέη non adhibuisset, quam tantummodo hoc loco invenimus, nam si eam idem esse ac nubem putavisset, saepius ea voce usus esset. Bis Homerus narrat Minervam a duobus tantum heroibus visam esse; utroque loco nubis mentio deest. In I *Iliadis* libro[38] in contione Graecorum Minerva Achilli, in XVI autem *Odysseae* libro[39] Ulixi, id est heroibus, quos

[34] *Il.* 5.336 sq.

[35] *Il.* 5,604.

[36] Cf. Roeger J., *Das Märchen von der Unsichtbarkeit in den homerischen Gedichten*, Graz 1924, p. 36.

[37] Lamer, RE XI (1922) col. 2523, s. v. κυνέη, *Hadeskappe*.

[38] *Il.* 1,198.

[39] *Od.* 16. 160 sq.

plurimi facit, sese ostendit. Achilli Minervam sese ostendere necessarium erat, ne heros Agamemnoni nimium succenseret; in *Odyssea* tale miraculum cum usu Homerico pugnare videtur, cum hic poeta rationem naturalem praebere potuerit; Minerva enim foris erat. Quod miraculum poeta verbis οὐ γάρ πως πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς explicare conatus est.

De rebus, quibus apud Homerum vis insolita tribuitur.

Apud Homerum deos omnia posse audimus: θεοὶ δὲ πάντα δύνανται. Sed dei saepe rebus, quibus vis magica tribuitur, utuntur, scilicet ad mirabilia facienda. Mirabilia in *Odyssea* saepius quam in *Iliade* inveniuntur. Dei interdum sceptri ope, ut Moses et Aaron, res mirabiles faciunt. Minerva regem virgula magica in mendicum[40] aetate provecta mutat. Quo loco singula poeta persequitur, quo melius metamorphosin ostendat. Virgula magica deae utendum erat, ne ab amicis in patria cognosceretur Ulixes[41]. Eiusdem virgulae ope Minerva pristinum habitum[42] Ulixi reddit; qui postea filio, quis sit, aperit. Poeta, ubi ipsa actionis ratio, ut miracula adhibeantur, non postulat, mirabilia diligenter evitat. Itaque in libro *Odysseae* XXIII[43], ubi de Ulixis pulchritudine loquitur, minime eam mirae sceptri potestati tribuit, sed postquam Ulixem lautum et vestitum esse narravit, eum a Minerva pulchritudine esse donatum addit. Simili sceptro feriens Neptunus in libro *Iliadis* XIII[44] utrumque Aiacem robore implet membraque ei levia reddit. Saepius[45] apud Homerum de deis vires hominibus praebentibus audimus, sed nonnisi loco laudato haec res mirabili modo fit. Mercurii sceptrum[46] homines sopire et expergefacere comperimus, sed Homerus ne unum quidem huius rei exemplum praebet. Quae mirabilium exempla optime ipsius rei necessitate explicantur. Neptunus vatis figura assumpta sceptrum gerit; quid est mirum, si sceptri ope Aiacibus vires praebet? Mercurius, somni deus, homines sopit et expergefacit; si hoc virgulae magicae ope facit, id cum antiquorum

[40] *Od.* 13,429 sqq.

[41] Cf. Rothe K., *Die Odyssee als Dichtung und ihr Verhältnis zur Ilias*, Paderborn 194, p. 115 sq.

[42] *Od*, 16,172 sqq.

[43] *Od.* 23,156 sqq.

[44] *Il.* 13,59.

[45] *Il.* 20,79. 110. 19,37 cett.

[46] *Od.* 24,2 sqq.

opinione convenit, qui virgulae insolitam vim praebebant. In Veteris Testamenti miraculis item saepius virgula magica adhibetur.

Mercurius celeritatem suam in *Odyssea* aureis soleis debet, alii dei ipsa voluntate celerrime viam faciunt. Minime mirandum est, si Mercurius soleas divina vi praeditas habet, cum in *Odyssea* deorum nuntius sit, cui imprimis celeritate opus est. Quae sit causa, cur Neptunus ensem terribilem habeat, de quo Homerus dicit (*Il.* 14, 385 sqq.):

δεινὸν ἄορ τανύηκες ἔχων ἐν χειρὶ παχείῃ,
εἴκελον ἀστεροπῇ· τῷ δ' οὐ θέμις ἐστὶ μιγῆναι
ἐν δαὶ λευγαλέῃ, ἀλλὰ δέος ἰσχάνει ἄνδρας

Wilamowitz[47] explanare conatur. Qui putat Neptunum, antiquissimum Graecorum deum, priscis temporibus fulmine praeditum fuisse. Postquam autem Terrae mariti mutata vel potius imminuta est potestas marinusque est factus deus, tridentem potestatis signum obtinuit. Priscae tamen illius potestatis eiusque symboli non evanuit memoria. Nunc fortasse explicatur, cur Homerus Neptunum insolitis armis ornaverit. Et re vera cuinam deo aptius ensis mirabilis conveniret? An Marti, qui minimam in *Iliade* auctoritatem habet et ab homine vulnerari potest?

Quam rationem Homerus in rebus mirabilibus describendis sequatur, optime ex narratione de herba, cui μῶλυ nomen est, patet. Qua herba cum Mercurius Ulixem donat, dicit (*Od.* 10, 287 sq.):

τῇ, τόδε φάρμακον ἐσθλὸν ἔχων ἐς δώματα Κίρκης
ἔρχευ, ὅ κέν τοι κρατὸς ἀλάλκῃσιν κακὸν ἦμαρ.

Quam herbam homines ignorare ex *Od.* 10, 305 sqq. comperimus. Homerus, ne eadem exempla saepius adhibeat, capitis velamento, quod κρήδεμνον appellatur cuique vis servandi naufragos inest, utitur. Duobus antea salutaris trabis exemplis allatis poeta, ne eundem salutis modum repetat, velamentum magicum introducit. Recte a Leucothea Ulixem servari, non a Minerva, poeta iubet, cum Iovis filia non sit maris dea (cf. Drerup, *Hom. Poet.* III 119)[48].

Homerus rem vi magica ornatam semel modo hominibus tribuit: Phaeacum naves dico. Quod cum tota de Phaeacibus fabula con-

[47] Wilamowitz-Moellendorff, *Die Ilias und Homer*², Berlin 1920, p. 234 adn. 1.

[48] *Od.* 13.341.

sentaneum est. En quae de his navibus Alcinous Ulixi narrat, *Od.* 8. 555 sqq.:

> εἰπὲ δέ μοι γαῖάν τε τεὴν δῆμόν τε πόλιν τε,
> ὄφρα σὲ τῇ πέμπωσι τιτυσκόμεναι φρεσὶ νῆες·
> οὐ γὰρ Φαιήκεσσι κυβερνητῆρες ἔασιν
> οὐδέ τι πηδάλι' ἐστί, τά τ' ἄλλαι νῆες ἔχουσιν·
> ἀλλ' αὐταὶ ἴσασι νοήματα καὶ φρένας ἀνδρῶν
> καὶ πάντων ἴσασι πόλιας καὶ πίονας ἀγρούς
> ἀνθρώπων καὶ λαῖτμα τάχισθ' ἁλὸς ἐκπερόωσιν
> ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμέναι· οὐδέ ποτέ σφιν
> οὔτε τι πημανθῆναι ἔπι δέος οὔτ' ἀπολέσθαι.

Comperimus igitur Phaeacum naves mente ac ratione ornatas esse, ita ut, etiamsi gubernatoribus careant, terras hominumque urbes omnes cognitas habeant. Quae naves per se, quo cuiquam navigandum est, tendunt et illum „Wolkenwunschmantel", de quo in veterrimis fabulis popularibus toties narratur, et alia similia illarum fabularum in memoriam revocant. Quibus de navibus solita sibi ratione poeta tractat, mirabili enim navium vi commemorata Ulixem rediturum esse narrat, omnes potestates mirabiles praeter raram celeritatem praetermittit.

Nunc ad exemplum, quod magiam sapere videtur, transeamus. In XIX *Odysseae* libro[49] Autolyci filii vulnere ligato Ulixis iuvenis sanguinem incantamento cohibent. Hic quoque Homerus, praeter incantamentum, naturalem medendi modum commemorat. Quo loco ipsa res miraculum postulabat, cum silva, in qua res agitur, medico privata esset; poetae populi remedium necessario adhibendum erat, quod ad Troiam, ubi tot medici erant, omnino probabilitate caruisset[50].

Ἡφαιστότευκτα.

Opera, quae Vulcanus, artificum peritissimus, fabricatus est, saepius potestate divina praedita erant. Nimirum discrimen intercedit inter ea, quae operibus deorum, et ea, quae hominibus tribuuntur. Omnium operum, quae Vulcanus confecerat, insolitissimae erant aureae puellae, quae ratione et sermone praeditae sua sponte movebantur et Vulcanum sequebantur. Etiam fulcra move-

[49] *Od.* 19,455 sqq.

[50] Cf. Schwartz, l. l. p. 13.

bantur, quae suis pedibus cenas deorum adibant et rursus ad Vulcanum redibant. Quorum pedes veteres saepe pedibus animalium similes[51] finxerunt. Nec non proprio motu vincula[52] praedita erant, quae, etsi conspici non poterant, Martem et Venerem vinctos tenuerunt. Canes aurei et argentei, quos Phaeacibus confecerat Vulcanus et qui aditum ad aedes Alcinoi custodiebant, ab omnibus canibus maxime differunt. Qui in poesi vivere videntur, ut poetae verba testantur. *Od.* 7, 91 sqq.:

> χρύσειοι δ' ἑκάτερθε καὶ ἀργύρεοι κύνες ἦσαν
> οὓς Ἥφαιστος ἔτευξεν ἰδυίῃσι πραπίδεσσιν
> δῶμα φυλασσέμεναι μεγαλήτορος Ἀλκινόοιο,
> ἀθανάτους ὄντας καὶ ἀγήρως ἤματα πάντα.

Opera, quae Vulcanus deis fabricatus est, longe a solitis operibus differunt. Etiam canes, quos Phaeacibus, populo a poeta ficto, donaverat, longe a veris distant.

Nunc ad opera, quae Vulcanus homini mortali fabricatus est, transeamus. Achillis arma dico, cum neque Diomedis loricae[53] neque Atridarum sceptro[54], quae et ipsa ἡφαιστότευκτα erant, vis insolita tribuatur (*Il.* 19, 384 sqq.):

> πειρήθη δ' ἔο αὐτοῦ ἐν ἔντεσι δῖος Ἀχιλλεύς,
> εἰ οἱ ἐφαρμόσσειε καὶ ἐντρέχοι ἀγλαὰ γυῖα·
> τῷ δ' εὖτε πτερὰ γίγνετ', ἄειρε δὲ ποιμένα λαῶν.

Non onerant Achillem arma ἡφαιστότευκτα, sed potius sublevant[55], proprio nimirum motu divinitus praedita. Armis tamen a Vulcano confectis poeta defendendi vim minime tribuit.

Res mirabiles, quae apud Homerum contra naturae leges fiunt: De terris et gentibus insolita vi ornatis.

Mirabilium terrarum ac gentium descriptiones in *Odyssea* tantum inveniuntur. Quod cum huius operis fabulosa indole optime consentit. Longe tamen *Odyssea* a fabulis popularibus nostrae aetatis differt. Nullus fit sermo de pumilionis cum ingentis corporis

[51] Van Leeuwen J., l. l. ad *Il.* 18,386.
[52] *Od.* 8.296 sqq.
[53] *Il.* 8,195.
[54] *Il.* 2,101.
[55] Cf. van Leeuwen. ad *Il.* 19.386.

homine pugna, nullus de pueris, qui veneficae incantamentis illigentur, quae omnia saepius in meris fabellis recentioribus leguntur. — Ulixes ipse animo impavido et fortitudine omnia pericula vincit. Mirabilia cum rebus viro forti dignis coniunguntur in medii aevi carminibus: „Erec", „Iwein", „Parcival", „Tristan et Isolde". Item Shakespeare in veneficis et umbris inferorum depingendis, Schiller in fabula „Jungfrau von Orlean" mirabilia narrandi arte facilia creditu reddunt. Merae fabellae, superstitionis[56], ne vestigium quidem apud Homerum exstat.

In locis amoenissimis describendis Homerus conatur, ne modum excedat, neve eandem rem repetat, si vero repetit, curat, ut antecedentia arte superet. Homines a se fictos fere semideos facit, ut mirabilia nobis probabilia videantur. Omnia, quae de Phaeacibus poeta narrat, probabiliora videntur, si memoria tenemus eos non fingi homines. Phaeaces enim origine et natura prope accedunt ad deos, quibus carissimi sunt. Itaque non miramur, si etiam regis domus et hortus longe ab hominum hortis et sedibus differunt. Iam supra de divinis Alcinoi canibus dictum est, nunc audiamus, quae de eiusdem horto poeta narrat, *Od.* 7, 114 sqq.:

ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκασι τηλεθέωντα,
ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι
συκέαι τε γλυκεραὶ καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι.
τάων οὔ ποτε καρπὸς ἀπόλλυται οὐδ' ἀπολείπει
χείματος οὐδὲ θέρευς, ἐπετήσιος· ἀλλὰ μάλ' αἰεί
Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πέσσει.

Nil mirandum est, si poeta Alcinoi hortum mira ubertate agrorum ornavit, cum Menelai horti descriptionem in libro IV superare[57] voluisset. Apud Cyclopes id solum mirabile fictum est, quod terra eorum inarata, expers seminis, per se ipsa deorum beneficio fruges det uberrimas, *Od.* 9, 107 sqq.:

. . . . . θεοῖσι πεποιθότες ἀθανάτοισιν
οὔτε φυτεύουσιν (sc. Κύκλωπες) χερσὶν φυτὸν οὔτ' ἀρόωσιν,
ἀλλὰ τά γ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται,
πυροὶ καὶ κριθαὶ ἠδ' ἄμπελοι, αἵ τε φέρουσιν
οἶνον ἐριστάφυλον, καί σφιν Διὸς ὄμβρος ἀέξει.

---

[56] Cf. Rothe, l. l. p. 207 sq.; Van Leyen, l. l. p. 38.

[57] Drerup, l. l. III 150.

[58] Schwartz, l. l. p. 19, qui suae sententiae testes Hesiodum *Op. et d.* 170 et Pindarum *Ol.* 2,130 affert.

Cum Cyclopes proximi[59] essent deis, miraremur poetam omnino de Cyclopum forma et ingenti corporum statura tacere, nisi videremus poetam mirabilia ad minimum redigere. Omnia Cyclopum mirabilia in unum Polyphemum congessit poeta. Unum habet oculum Polyphemus[60] — de ceteris Cyclopibus id minime audimus — magnitudine cum montis praealti iugo[61] comparatur, vires humanis maiores ei tribuuntur, si quidem ingenti saxi mole speluncam obstruit.

Ingentem corporum staturam Homerus Laestrygonibus tribuit, qui οὐκ ἄνδρεσσιν ἐοικότες erant, ἀλλὰ Γίγασιν[62]; quare etiam regina eorum Ulixis sociis montis cacuminis[63] instar esse videtur.

Nulla re mirabili in Laestrygonum terrae descriptione inventa iam ad Aeoli insulam transeamus, quae a poeta natans[64] fingitur. Mirari licet, si Ulixes rediens eam reperit utpote natantem. Sed poeta saepe mirabilia commemorata in progrediente narratione omnino neglegit. E. g. in libro *Odysseae* XIII Ulixem a Minerva membris hominis provectae aetatis donatum esse audimus, *Od.* 13,431 sq.:

. . . . . ἀμφὶ δὲ δέρμα
πάντεσσιν μελέεσσι παλαιοῦ θῆκε γέροντος,

in libro autem XVIII, ubi Ulixes cum Iride pugnaturus est, comperimus (v. 66 sqq.):

. . . . . αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
ζώσατο μὲν ῥάκεσιν περὶ μήδεα, φαῖνε δὲ μηρούς
καλούς τε μεγάλους τε, φάνεν δέ οἱ εὐρέες ὦμοι.
στήθεά τε στιβαροί τε βραχίονες.....

Cimmeriorum terram, quam in extremis terrae finibus ad Oceanum finxit poeta, caligine et nebula obtectam esse narrat. Quod mirifice fictum est, cum Cimmerii ad inferorum limina habitent. Etiam si leones et lupi, qui olim homines erant, Circae domum circumeunt, optime cum veneficae natura congruit. Ut bestiae domitae repraesentarentur, tractandi ratio postulabat. Si enim ferae fuissent, Ulixis socii aufugissent.

---

[59] *Od.* 7,205 de Phaeacibus dicitur:
...σφισιν (sc. θεοῖς) ἐγγύθεν εἰμέν.
ὥσπερ Κύκλωπές τε καὶ ἄγρια φῦλα Γιγάντων.

[60] Cf. *Od.* 1.69, 9.333, 383, 394. 397, 453. 503, 516, 525.

[61] *Od.* 9,190.

[62] *Od.* 10,120.

[63] *Od.* 10,113.

[64] *Od.* 10.1 sqq.

QUAESTIONUM ORTHOGRAPHICARUM SPECIMEN

Scripsit

LADISLAUS STRZELECKI

Iam dudum docti quaestionem indagandam suscepere, quibusnam auctoribus niteretur Q. Terentii Scauri liber, qui *De Orthographia* inscribitur[1]: sed quamvis multum hac in re enucleanda sit sudatum[2], de re adhuc neutiquam liquet neque quicquam est inventum, cunctis quod probaretur. Atque cum Varronis nomen Scaurus ter nominatim laudavisset[3], non defuere viri iique doctissimi, qui orthographum praeter locos Varronis nomine insignitos plurima Reatino debere Reatinique doctrina fundamento niti sibi persuaderent, inter quos imprimis Augustus Wilmanns[4] et Henricus Keil[5] digni sunt, qui nominentur. Alii aliter censuere: sic Schady, qui Marii Victorini caput I 4 *de orthographia*[6] inscriptum pro epitoma ex excerptis nescioquibus e Verrii Flacci libris *de orthographia* factis habendum esse sibi persuaserat, eosdem Verrii libros Scaurum excerpsisse et in rem suam convertisse dixit[7]. Similem sententiam etiam Mackensen protulit, qui Verrium Flaccum pro praecipuo Scauri habuit auctore[8] atque eo iam est progressus, ut Var-

---

[1] G. L. K. VII 11—29.

[2] Quid docti de Q. Terentii Scauri auctoribus grammaticis censerent, breviter exposui R. E. XVIII, 1 s. v. *Orthographie B*, col. 1472 sq.

[3] *Quam inconstantiam Varro arguens in eundem errorem diversa via delabitur* (p. 19,6); *negat Varro etiam Gracco aspirandum, quoniam a gerendo sit cognominatus* (p. 20,2); *non carent quaestione etiam plebs et urbs et Pelops, quae Varro ita distinguit, ut...* (p. 27,11).

[4] A. Wilmanns, *De M. Terenti Varronis libris grammaticis*, Berolini 1864, p. 86 sqq.

[5] G. L. K. VII 8 sq. Audi viri doctissimi verba: *sed ex his quoque quibus nomen adscriptum non est, permulta ad Varronis doctrinam haud dubie referenda sunt* (p. 8); *satis fuit certis indiciis probavisse Varronianae doctrinae vestigia per totum librum dispersa esse, ex quibus de reliquis probabilis coniectura fieri posset* (p. 9).

[6] G. L. K. VI 7,34—26,13.

[7] Schady, *De Mari Victorini Libri I Capite IV quod inscribitur de orthographia, Pars Prior*, Diss. Bonnae 1869.

[8] Mackensen, *De Verrii Flacci libris orthographicis*, Comment. Philol. Ienens. VI 2 (1899) p. 47 sqq. Mackensenum secuti sunt alii, velut Wessner, R. E. V A (1934) s. v. *Q. Terentius Scaurus* col. 674.

ronianam doctrinam Varronisque monen ter — ut dixi — a Scauro rite allatum e Verrii Flacci libris, Varroniana doctrina refertis, ad Scaurum asseveraret permanasse[9]. Multum sudavit Neitzke, ut certi aliquid posset proferre[10]: qui cum Terentium Scaurum Veliumque Longum cum excerptis e Cornuti libris a Cassiodorio factis[11] et Quintiliano[12] congruere permultis probasset exemplis, sententiam protuit hanc: *Arte inter se cohaerent Scaurus Longus Cornutus Quintilianus, sed cum omnia desint argumenta, nullo modo potest discerni, utrum Scaurus et Longus ab eodem artis grammaticae scriptore doctrinam suam petiverint atque ille ipse auctor ignotus Cornutum imprimis excerpserit an alio quodam vinculo Cornutus cum utroque coniunctus sit*[13]. Quid igitur de Neitzkii sententia dici potest? Si quis tres profert explicandi rationes neque ullam earum ipse sibi sequendam suscipit, de re tota potius desperasse est credendus, quam ut aliquid profecisse existimetur. Itaque Neitzkianae dissertationi ultimum vale si dixerimus, quaestio de Terentii Scauri auctoribus nihil detrimenti inde capiet. Equidem cum dudum mihi persuaserim Terentium Scaurum non eum fuisse grammaticum, qui ipsius Varronis libris uti aut nollet aut certe iam non posset, a Wilmannsio Keilioque steterim, sed illud deesse video, ut cur Scaurum ipsius Varronis libros evolvisse et in usum suum convertisse credamus atque quaenam Terentiani libelli particulae ex eo auctore pendeant, accuratissime anquiratur. Quod qui studebit, nihil sane proficiet, nisi in libelli compositionem summa diligentia inquisiverit.

Itaque primum inspiciendum est, quaenam libelli sit compositio quibusque e partibus libellus constare videatur. Primum locum ea pars obtinet, quae p. 11,1—12,22 legitur, qua disputandi fundamenta orthographus iecit, cum de quattuor disseruit vitiorum generibus atque exposuit, quibus normis in recte scribendo esset parendum.

---

[9] En tibi ipsa Mackenseni verba: *Sed nihil impedit, quominus Verrium, cum libros de orthographia scripserit, ad Varronem eiusque libros de sermone latino refugisse atque insignissimi illius grammatici, cuius aliis libris eum saepe usum esse constat, doctrinam suis adaptasse libris exstimemus. Itaque Scauris et Longis non erat opus recurrere ad Varronem eiusque libros ad alias grammaticae partes spectantes... In uno autem Verrii opere omnia poterant invenire, quae ad propositum pertinerent* (l. l. p. 49).

[10] Neitzke, *De Velio Longo Grammatico*, Diss. Gottingae 1927.

[11] G. L. K. VII 147,22—154,11.

[12] *De Inst. Orat.* I 4. I 7.

[13] l. l. p. 63.

Atque hanc quidem particulam *Prooemium* nuncupare liceat. Subsequitur particula cognationem litterarum tractans (p. 13, 1—16, 4), quae excipitur verbis de litterarum concursu factis (p. 16, 5—18, 10). Quoniam utraque particula artissimo cognationis vinculo est coniuncta, liceat mihi indere ei nomen *Caput de litteris*, quo brevius res possit tractari. Quae insequuntur, eam ob rem memoria digna sunt, quod grammaticus ibi singulas voces tractandas suscepit, in quibus scribendis plerumque delinqui solebat. Atque hanc quidem amplissimam libelli partem (p. 18, 12—28, 16) si brevitatis causa *Quaestiones* nominavero, non multum aberit, quin ipsius fere Scauri utar verbis, qui de litteris cum disputasset, ad novam operis partem se transire his verbis professus est: *et quatenus huic parti satisfactum est, hinc iam quaestiones quae in rationem scribendi cadunt secundum praepositae divisionis ordinem explicare temptabimus* (p. 18, 9).

Tres igitur in libello partes inesse statuimus, quarum mutuam rationem non uno nomine refert cognoscere. Atque illud quidem notatu dignissimum *Prooemium* cum *Quaestionibus* tantopere cohaerere, ut a vero non aberrare videamur, si neque *Prooemium Quaestionibus* neque *Quaestiones Prooemio* ullo pacto posse carere nobis persuadeamus. Nam quod in *Prooemio* dixerat grammaticus scribendi rationem quadruplici posse vitiari modo — scilicet, ut ipsius Scauri utar verbis, *per adiectionem, detractionem, inmutationem, adnexionem* (p. 11, 1—2), id uberrime in *Quaestionibus* exposuit, cum omnem materiam in quattuor divisit partes: etenim *adiectio* tractatur p. 18, 12—22, 3, *detractio* p. 22, 4—24, 8, *mutatio* p. 24, 9—28, 12, *conexio* p. 28, 13—16. Itaque *Quaestiones* nihil sunt aliud nisi expositio eius rei, quam grammaticus in *Prooemio* leviter attigit, quo uniuscuiusque vitii naturam descripsisse sat habuit. Quod autem medium obtinet locum *Caput de litteris*, neque in *Prooemio* ullo verbo perstringitur neque in *Quaestionibus*, quibus ipsum excipitur, quicquam reperitur, quod auctorem ad doctrinam hoc capitulo expositam alludere indicet. Ne sim longior, nihil impedit, quominus duas libelli partes clare se nobis iam nunc offerre statuamus: una ex parte stant *Prooemium* et *Quaestiones*, altera ex parte *Caput de litteris*, quae summo opere inter sese differunt; finge enim animo Terentii Scauri libellum *Capite de litteris* carere atque *Prooemium* ipsis *Quaestionibus* excipi: quis dubitet, quin si ita factum esset, libelli compositio optima omnique laude digna futura fuerit? Quae cum ita sint, *Caput de litteris* a libelli ratione

naturaque alienissimum est et aliunde insertum videtur esse. Atque eam rem si accuratissime perpenderimus, in eam necesse est veniamus opinionem *Prooemium* atque *Quaestiones*, tantopere inter se conexas, haberi debere pro excerptis e nescio quo opere ita factis, ut pristina compositio servaretur atque etiam nunc velut in speculo cerneretur. Cui Scaurus vim videtur intulisse[14], cum *Caput de litteris*, alio e fonte petitum, in medium inseruit.

Quaeritur nunc, quid de *Prooemii Quaestionumque* auctore sit iudicandum. Atque illud notatu longe dignissimum *Prooemii* et *Quaestionum* fundamentum ex illis quattuor scribendi vitiis constare — *adiectionem*, *detractionem*, *inmutationem*, *conexionem* dico. Neque ambigitur, quin illa quattuor genera a Scauro inventa non sint, cum eadem vel certe similia apud alios quoque scriptores occurrere dudum a doctis sit observatum. Quattuor illa genera Stoicae doctrinae manifesta prae se ferre signa atque respondere Stoicorum notionibus, quae essent πρόςθεσις, ἀφαίρεσις, μετάθεσις, ἐναλλαγή, in barbarismis soloecismisque investigandis adhiberi solitae, Barwick sagaciter exposuit[15]. Noli tamen tibi persuadere ipsum Terentium Scaurum Stoicorum scripta evolvisse atque rem totam, copiose in Stoicorum scriptis expositam, ipsum linguae Latinae usui adaptasse, cum Stoicos constet recte scribendi praecepta propriis peculiaribusque libellis indigna ratos capitibus de barbarismo inserere esse solitos[16]. Itaque iam ante Terentium Scaurum grammatici Romani exstitisse existimantur, qui Stoicorum categorias, de quibus agimus, linguae Latinae adaptavere: atque hoc quidem loco veniat necesse est nobis in mentem Varronis, quem dudum docti videre non solum in rebus grammaticis, sed etiam aliis — velut in re metrica[17] — iisdem quattuor categoriis uti con-

[14] Itaque adstipulari nequeo Wessnero libelli Terentiani compositionem probam esse dicenti (R. E. V A [1934] s. v. *Q. Terentius Scaurus* col. 673).

[15] Barwick, *Remmius Palaemon und die römische Ars Grammatica*, Philol. Supplementband XV, 2 [1922] p. 96 sqq. Conf. Usener, *Ein altes Lehrgebäude der Philologie* [Sitzungsber. der Philos.-Philol. und Hist. Klasse der K. Bayer. Ak. d. Wiss. 1892, H. IV p. 582—648 = Kleine Schriften, II, Leipzig—Berlin 1913, p. 265—314] p. 302 sq. Vix possum retineri, quin cum Marxio (apud Usenerum p. 298) et Barwickio (l. l. p. 98 adn. 1) Philonis locum quendam afferam: φθορὰς τέτταρας εἶναι τρόπους τοὺς ἀνωτάτω συμβέβηκεν. πρόςθεσιν. ἀφαίρεσιν. μετάθεσιν. ἀλλοίωσιν (*de incorrupt. mundi* c. 22).

[16] Conf. Barwick, l. l. p. 99 adn. 1.

[17] Confer Caesium Bassum, qui Varronem ducem sequitur (Leo, *Die beiden metrischen Systeme des Alterthums*. Herm. XXIV [1889] p. 289 sq.): cum *omnia metra*

suevisse[18]. Et quamquam Varronis locus *de lingua Lat.* V 6 saepe a doctis affertur atque cum Terentio Scauro comparatur, non abs re fore credo, si eum plenis exscribam verbis: (*origines verborum:*) *reperiet enim esse commutata, ut in superioribus libris ostendi, maxime propter bis quaternas causas. litterarum enim fit demptione aut additione et propter earum tra⟨ie⟩ctionem aut commutationem, item syllabarum productione ⟨aut correptione, denique adiectione aut detrectione⟩*[19]. Itaque illae quattuor categoriae, quae pro fundamento non solum *Prooemii*, verum etiam *Quaestionum* haberi possunt[20], manifesta Varronianae doctrinae[21] signa prae se ferunt[22].

---

varientur aut adiectione aut detractione aut concinnatione aut permutatione (G. L. K. VI 271,5). Heinze etsi illam *concinnationem* pro ipsius Bassi habet invento, tamen si quid video, Varronem in derivandis metris iam quattuor usum esse categoriis concedit (*Die lyrischen Verse des Horaz*, Berichte über die Verhandl. der Sächs. Gesell. der Wissensch. zu Leipzig, Philol.-Hist. Klasse, LXX 4 [1918] p. 45 sqq). Audi verba haec: *ich raüme gern ein, dass er* (sc. Caesius Bassus) *die Vierzahl bei dem Vorgänger gefunden haben kann, gegen den er sonst gelegentlich polemisiert* (l. l. p. 47).

[18] Conf. Usener, l. l. p. 298; Leo, l. l. p. 289 adn. 5.

[19] Varronis verba secundum editionem Kentii attuli (*Varro on the Latin Language with an English translation* by..., London Cambridge 1938). Pro illo *tractationem* codicum consensu traditum illud *traiectionem* Scaliger et Popma in textum intulerunt: at lacuna post verba *syllabarum productione* exstans a Kentio est expleta (R. G. Kent, *On the Text of Varro de lingua Latina*, Trans. Am. Phil. Ass. LXVII [1936] 64 sqq.).

[20] Constat etiam posteros iisdem fere quattuor categoriis esse usos, ut puta Donatum: *barbarismus fit duobus modis, pronuntiatione et scripto. his bipertitis quattuor species supponuntur: adiectio, detractio, inmutatio, transmutatio litterae, syllabae, temporis, toni, adspirationis* (G. L. K. IV 392,8); Diomedes: *barbarismus fit modis principalibus quattuor, adiectione, detractione, mutatione, transmutatione* (G. L. K. I 451, 32), conf. Consent. G. L. K. V 386,15 et Aud. G. L. K. VII 361.22 (conf. Usener, l. l. p. 301). Varronianam esse illam quadruplam divisionem pro certo habeo, sed quot quibusque rivulis ad hos permanaverit viros, vix audeo discernere.

[21] Verbo admoneo Varronem praeter hanc quadruplam divisionem etiam trifaria divisione uti consuevisse, ut locus testatur hic: *ut verba litteras alia assumant, alia mittant, alia commutent* (*de l. Lat.* VI 2, conf. Leo, l. l. p. 289 adn. 5).

[22] Eadem quattuor vitiorum genera Quintilianus *de Inst. Orat.* I 5,6 enumeravit dicens haec: *quis hoc nescit alios barbarismos scribendo fieri, alios loquendo... illud prius adiectione, detractione, inmutatione, transmutatione, hoc secundum divisione, conplexione, adspiratione, sono contineri?* (conf. Usener, l. l. p. 300 sq.). Etsi non dubito adstipulari Barwickio Quintilianum plurima, quae scripsit de grammatica, Varroni, Verrio Flacco, Plinio debere dicenti (l. l. p. 265 sqq.), tamen Fabium ea vitiorum genera ex ipsius Varronis scriptis hausisse quovis spoponderim pignore.

Adde, quod etiam exempla, a Terentio Scauro quattuor categorias illustrandi gratia allata, ita sunt comparata, ut de eorum auctore grammatico iam nequeat dubitari, modo omnia accuratissime exquirantur. Grammaticus ut scripturam *adiectione* litterarum corruptam exemplo comprobaret, vocem *querela* attulit, quam nonnullos perperam per duo *l* scribere admonuit; en tibi ipsius verba: *per adiectionem, ut cum querelam per duo l scribunt, cum querulus sit, non querullus* (p. 11, 2). Atque id quidem exemplum Varronem auctorem sapere quovis contenderim pignore, etsi rem pluribus verbis adumbrare oportet, ne qui sit dubitationi locus. Eandem vocem etiam Papirianus Cassiodorii (G. L. K. VII 159, 4) explicat et ita explicat, ut eam ab antiquis per unum *l* scribi solitam, postea per duo *l* scribi coeptam esse dicat[23]; etiam in Pseudo-Capri excerptis eadem vox eiusque orthographia tractata est (G. L. K. VII 96, 6), apud quem sermo est de verbo *narro* et de substantivo *querela* eorumque orthographia[24]. Verbum *narro* etiam Papirianus tractat atque copiose explicat, quibus rationibus ductus Varro illud verbum per unum *l* scribi iusserit[25]. Quamquam Pseudo-Caper eo differt, quod illud *narro* per duo *l* scribi oportere ait, attamen memoratu dignum ea, quae Papirianus de verbo *narro* exposuerit, excipi verbis de substantivo *querela* factis. Cum igitur et Pseudo-Caper et Papirianus verba de voce *querela* et de verbo *narro* facta in unum coniunxerint neque ea res ullo pacto casui possit dari, facere nequeo, quin mihi persuadeam Papiriana de voce *querela* verba ad eundem redire auctorem atque ea, quae de illo *narrare* disseruerit; ni ita fuisset, numquam futurum fuisse luce est clarius, ut de iisdem vocibus mentiones apud utrumque in unum fere coniungerentur. Sequitur, ut quae Papirianus de voce *querela* recte scribenda verba fecerit, Varrone nitantur auctore. Quae cum ita sint, etiam mentio de illo *querela* a Terentio Scauro iniecta haud dubia Varronianae doctrinae vestigia videtur servasse.

[23] *Querella apud antiquos per unum l scribebatur, sicut suadela, tutela, candela, corruptela, quamvis usus sibi etiam apud eos vindicaret, ut aliqua in figura deminutivorum per duo l scriberentur, ut capella, fabella, tabella, nunc autem etiam querella per duo l scribitur.*

[24] *Narro narratio per duo r, querela loquela per unum l.*

[25] *Narare per unum r scribitur, ut Varroni placet. secutus est enim etymologiam nominis † eius qua gnarus dicitur, qui scit et accipit, quod loqui debeat. denique compositio verbi ita scribitur, ignorare, quod non per duo r, sed per unum scribitur. ideo et naratio unum r habere debet* (G. L. K. VII 159,8 = fr. 53 Wil., 277 Fun. [H. Funaioli, *Grammaticae Romanae Fragmenta*, vol. I, Lipsiae 1907, p. 296]).

Nunc iam ulterius liceat progredi. Scaurus ut vitia detractione litterarum effecta exemplis illustraret, attulit aliquot exempla, ab illo h incipientia, quod successerat in locum litterae f ab antiquis usurpari solitae; sunt substantiva *haedus*, *hordeum*, *hariolus*, de quibus grammaticus scripsit haec: *per adiectionem*, ⟨*ut*⟩[26] *cum haedus sine aspiratione scribitur, cum alioqui cum ea debeat, quoniam apud antiquos faedus sit dictus, et ubi illi f litteram posuerunt, nos h substituimus, ut quod illi fordeum dicebant, nos hordeum, foriolum quem nos hariolum, similiter faedum quem nunc nos haedum dicimus* (p. 11, 3—7). Atque eum quidem locum apte conferre possumus cum Velii Longi verbis his: *...propter originem vocis, siquidem, ut testis est Varro, a Sabinis fasena dicitur, et sicut s familiariter in r transit, ita f in vicinam aspirationem mutatur. similiter ergo et haedos dicimus cum aspiratione, quoniam faedi dicebantur apud antiquos* (G. L. K. VII 69, 7), quae peculiari digna sunt mentione: nam non solum supra allata Velii verba, sed etiam quae praecedunt quaeque subsequuntur, in Varronianorum fragmentorum numero a doctis iure habentur[27]. Accedit, quod uti etiam possumus ipsius Varronis verbis *de lingua Latina* V 97 de eadem re factis[28]: iam intelleges Terentium Scaurum *detractionis* exempla e Varronianae doctrinae penu hausisse.

Vitia litterarum *adnexione* effecta comprobavit grammaticus tribus exemplis, quae sunt *nescio*, *nefrendes*, *nesapus* (p. 12, 1—5), e quibus medium dignum est, de quo pluribus verbis disputetur: nam quae de illius vocis veriloquio Scaurus protulit (*significat nefrendes porcos qui sunt sine dentibus, id est qui fabam frendere non possunt*), iisdem fere verbis perscripta recurrunt apud Varronem *de R. R.* II 4, 17, qui locus eo modo est comparatus, ut pro gemello fere loci Terentiani fratre iure possit haberi; perlegas ipsa Varronis verba: *amisso nomine lactantes dicuntur nefrendes ab eo, quod nondum fabam frendere possunt, id est frangere*. Quid plura? Etsi idem veriloquium saepius apud grammaticos legitur[29], tamen tanta inter Terentium Scaurum et Varronis verba similitudo est, ut vix liceat

---

[26] Supplevit Keil.

[27] Conf. Wilmanns l. l. p. 85 sq., Funaioli l. l. p. 297 sq. Strzelecki *De Velii Longi auctoribus quaestiones*, Eos XXXIX 1938, p. 16 sq.

[28] *Hircus, quod Sabini fircus; quod illic fedus, in Latio rure hedus, qui in urbe ut in multis A addito haedus.*

[29] Locos congessit Funaioli ad fragmentum Varronianum 426 (l. l. p. 361).

dubitare, quin Scaurus hoc loco Varronianam doctrinam in rem suam converterit[30].

Antequam reliquam *Prooemii* partem tractandam suscipio, dissertis verbis admonebo haec: quattuor illa vitiorum genera, quae fundamenta sunt totius fere libelli Terentiani, et doctrina Varroniana et exemplis — si non omnibus, at certe plerisque — Varronianis nituntur. Quae cum ita sint, ultro deferor, ut perspicere coner, an etiam altera *Prooemii* pars (p. 12, 5—22), qua de normis recte scribendi disseruit grammaticus, ad Varronem redeat auctorem. Tres eas numero esse Scaurus dicit, cuius verba tanti sunt momenti, ut facere nequeam, quin ea afferam: *recorrigitur vero regulis tribus, historia, originatione, quam Graeci* ἐτυμολογίαν appellant, *proportione, quae Graece* ἀναλογία *dicitur* (p. 12, 5). Quis est, qui dubitet, quin grammaticorum Graecorum doctrina hoc loco occurrat? Quae opinio — ut alia omittam — vel ea confirmatur re, quod Scaurus non solum Latinis, sed etiam Graecis utitur vocabulis[31]. Eadem fere saepius apud grammaticos Graecos inferioris aevi leguntur, eo discrimine interposito, quod non tres, sed quattuor normas Graeci enumerare solent[32]: sic apud Anonymum Oxoniensem Crameri quattuor leguntur normae recte scribendi, quae sunt ἀναλογία, διάλεκτος, ἐτυμολογία, ἱστορία atque explicatur unaquaeque earum, quid sibi velit[33]. Eadem fere habet Anonymus Bekkeri[34]

[30] Verendum mihi video, ne quis sibi persuadeat me Terentium Scaurum e Varronianis *de Re Rustica* libris pendere opinari, cum eum hoc loco Varrone auctore niti dicam. Itaque pauca liceat addere: constat enim Varronem repetere consuevisse ea, quae aliis in libris uberius exposuisset. Ita igitur usu venisse videtur, ut in *Rerum Rusticarum* libris id repeteret verbi quium, quod grammaticis libris, de quorum titulo infra plura dicam, accuratissime exposuisset. Itaque ex his grammaticis libris sua Scaurus haurire potuit.

[31] Quod vocem *historia* grammaticus Graece vertere supersedit, nihil ad rem. nam si id fecisset, fieri non potuit, quin illud ἱστορία scriberet; quid igitur opus fuit iterum eandem vocem repetere?

[32] Locos contulit iam Usener, l. l. p. 296 sq.

[33] Πόσοι κανόνες ὀρθογραφίας; δ'. ἀναλογία, διάλεκτος. ἐτυμολογία καὶ ἱστορία. Καὶ ἀναλογία μέν ἐστι κανὼν ἀποδεικτικός. ὡς ἐν τῷ ἡμερινὸς ἢ νυκτερινός· τὸ ρι ἰῶτα· ἐπεὶ τὰ διὰ τοῦ ρινὸς καιροῦ παραστατικὰ διὰ τοῦ ι γράφεται. Ἱστορία δέ ἐστιν ἡ τῶν παλαιῶν παράδοσις· ὡς ὅτε γίλια διὰ τοῦ ι γράφεται ὅτι οὕτως αὐτὸ παρέδωκεν ἡ συνήθεια. Διάλεκτος δέ ἐστιν ἰδίωμα γλώττης· ὡς ὅταν μείλιχος διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφωμεν· ἐπεὶ οἱ Αἰολεῖς μέλιχος λέγουσι. τὸ ἐν τῇ διφθόγγῳ ε ἐκφωνοῦντες. Ἐτυμολογία δὲ σύντομος καὶ ἀληθὴς ἀπόδειξις τοῦ ζητουμένου· ὡς ὅταν εἴπω εἰλικρινὴς τὸ ει διφθογγον, παρὰ τὴν ἴλην τὴν τοῦ ἡλίου αὐγήν. (I. A. Cramer, *Anecdota Graeca e codd. manuscriptis Bibliothecarum Oxoniensium*, vol. IV, Oxonii 1837, p. 331 sq.).

[34] I. Bekkeri *Anecdota Graeca* vol. III, Berolini 1821, p. 1127.

aliique[35], quae omnia posteriorum temporum testimonia nituntur antiquo auctore, sincerae incorruptaeque adhuc doctrinae pleno[36].

Atque quaestio nunc oboriatur necesse est, unde tres normas suas Scaurus hauserit possitne cogitari de Varrone, cuius doctrina prior *Prooemii* pars procul dubio nititur. Quod quidem ut diiudicetur, illud imprimis est tenendum antiquos grammaticos easdem esse normas recte scribendi atque recte loquendi, id est orthoepeiam orthographiamque iisdem fere legibus constrictas teneri sibi persuasisse[37]. Itaque quoniam Varroniana praecepta ad recte scribendi scientiam pertinentia expressis verbis allata desiderantur, confugiendum est ad Latinitatis normas Varronianas, de quibus multa verba Diomedes grammaticus fecit atque ita quidem fecit, ut Reatini opiniones optime perspectas habeamus. Quae quidem Diomedis verba cum a Wilmannsio[38] tum a Funaiolio[39] iure inter Varroniana fragmenta recepta Varronem quattuor Latinitatis normas agnovisse luculenter testantur, quae sint: *natura*, *analogia*, *consuetudo*, *auctoritas* earumque vim naturamque accuratissime descripsisse[40]. Sed quid est sentiendum de ratione inter Varronem

[35] *Et. M.* 792 s. v. φήτις. De re tota confer: Usener l. l. p. 296 sq., R. Reitzenstein. *Geschichte der griechischen Etymologica*, Leipzig 1897, p. 185 et 386; idem R. E. VI s. v. *Etymologika* col. 810. Barwick l. l. p. 214.

[36] De Tyrannione Amiseno esse cogitandum Usener demonstrare studuit (l. l. p. 303 sqq.).

[37] Iam Usener eas normas tamquam κανόνες ἑλληνισμοῦ excogitatas esse scite observavit (l. l. p. 297). Eo facilius factum est, id quod iure Barwick admonuit, ut eae normae orthographiae usui adaptarentur, cum recte scribendi praecepta initio non in peculiaribus libris, sed in libris περὶ ἑλληνισμοῦ tractata essent (Barwick l. l. p. 214 adn. 3, p. 202).

[38] Fr. 41 (p. 170 sqq.).

[39] Fr. 268 (p. 289 sq.).

[40] *latinitas est incorrupte loquendi observatio secundum Romanam linguam. constat autem, ut adserit Varro, his quattuor, natura, analogia, consuetudine, auctoritate. natura verborum nominumque inmutabilis ⟨est⟩ nec quicquam aut minus aut plus tradidit nobis quam quod accepit . nam si quis dicat scrimbo quod est scribo, non analogiae virtute sed naturae ipsius constitutione convincitur. analogia sermonis a natura proditi ordinatio est secundum technicos neque aliter barbaram linguam ab erudita quam argentum a plumbo dissociat. consuetudo non ratione analogiae, sed viribus par est, ideo solum recepta, quod multorum consensione convaluit, ita tamen ut illi artis ratio non accedat, sed indulgeat. nam ea e medio loquendi usu placita adsumere consuevit. auctoritas in regula loquendi novissima est. namque ubi omnia defecerint, sic ad illam quem ad modum ad ancoram decurritur. non enim quicquam aut rationis aut naturae aut consuetudinis habet, cum tantum opinione secundum veterum lectionem recepta sit nec ipsorum tamen, si interrogentur cur id secuti sunt, scientium.*

Scaurumque hac in re intercedente? Possit quispiam in eam venire opinionem utrumque iisdem fere usum esse normis[41], quod vox natura, a Varrone usurpata, Terentianae *originationi* (= ἐτυμολογία) plane respondeat[42], de *analogia* autem non sit, quod dubitetur, cum Terentianus praeter vocem Latinam *proportio* etiam voce Graeca (ἀναλογία) utatur[43]. Sed restat, ut paucis expediamus, quid sit sentiendum de voce *historia*. Quae vox etsi sensu grammatico nusquam praeter Scauri locum apud grammaticos legitur, tamen — si quid video — acu rem ii tetigerunt docti, qui eam idem valere atque vocem *auctoritas* censuerunt[44]. Quod vero ad illam *consuetudinem* a Varrone usurpari solitam attinet, ea norma respondere videtur normae, a Graecis διάλεκτος nuncupatae[45]. Facile igitur quispiam dixerit Terentianum Scaurum Varronianis uti normis eo discrimine interposito, quod quartam normam — *consuetudinem* scilicet — alto praeterierit silentio[46]. Quod si esset verum, ita esset factum, ut Varro easdem normas variis vocabulis appellare soleret. Sed ego de re tota aliter senserim. Nam illud imprimis tenendum videtur apud antiquos duo fuisse systemata, plane inter se diversa, quorum unum quattuor, aliud tres solum Latinitatis normas amplectebatur: nam non de quattuor, sed de tribus normis loquuntur Victori-

---

[41] Id quod Schady l. l. p. 29 reapse sibi persuasit.

[42] Cf. Usener: *Hier ist.... natura ein gewählterer Ausdruck für das griechische etymologia* (l. l. p. 297). Audi Quintilianum: *Etymologia quae verborum originem inquirit, a Cicerone dicta est notatio, quia nomen eius apud Aristotelen invenitur* σύμβολον, *quod est „nota". nam verbum ex verbo ductum, id est veriloquium. ipse Cicero, qui finxit, reformidat. Sunt, qui vim potius intuiti originationem vocent* (*de Inst. Orat.* I 6,28).

[43] Vocem Graecam ἀναλογία per illam *proportionem* Latine vertere iam Cicero non dubitavit: *id optime adsequitur, quae Graece* ἀναλογία, *Latine — audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur — comparatio proportiove dici potest* (*Tim.* 4).

[44] Conf. Schady l. l. p. 29 et *Thes. Lingu. Lat.* VI 3 col. 2837, quo loco editores eam vocem sic interpretantur: *respicitur auctoritas,* ἡ τῶν παλαιῶν παράδοσις.

[45] Conf. supra 96 sq. adn. 33—35.

[46] Usener normas apud Graecos obvias, quarum supra (p 95 sq.) feci mentionem, respondere fere normis Terentianis monuit; quod autem Terentius Scaurus non quattuor, sed tres normas enumeraverat, vir doctissimus nihili esse faciendum dixit atque hoc modo explicare est conatus, cur grammaticus tres normas attulisse satis haberet: *es ist dieselbe Reihe, nur fehlt der Sprachgebrauch aus dem Grunde, weil die Frage aufgeworfen ist, welche Instanzen gegen irrigen Gebrauch anzurufen sind* (l. l. p. 297). Ista perperam esse exposita ex eis apparebit, quae infra dicentur.

nus[47], Augustinus[48], Audax[49] (*ratio, auctoritas, consuetudo*), quas ne pro inferiorum grammaticorum placitis habeamus. Servii quodam loco prohibemur (*Aen.* VIII 423), unde sequitur, ut easdem tres normas iam Verrius Flaccus sit secutus; en tibi Servii verba: *et „hoc" pro „huc" posuit secundum antiquum morem, nam antea hoc adverbium loci fuit, quod nunc abolevit; nam crebro in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistulis probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione, dicens pro u o plerumque maiores ponere consuetos*[50].

Cum vocabulum *exempla* voci *consuetudo*, ab inferioribus adhibitae, plane respondere luce sit clarius, iam vides esse nobis rem cum systemate quodam, a Varroniana doctrina alienissimo, quo tres esse Latinitatis normae iubebantur.

Dicet aliquis inter Verrium Flaccum et Terentium Scaurum nonnihil interesse Verrianumque systema non idem esse atque Terentianum: esto, vix ac ne vix quidem dixerim cum eodem systemate apud utrumque rem esse nobis; equidem potius crediderim praeter Varronianum systema quattuor normarum (*natura, analogia* [= *ratio, regula*][51], *consuetudo, auctoritas*)[52] systema trium normarum in usu fuisse, cuius duo fuerint genera: Verrianum, quod has tres normas continebat: *exempla*(=*consuetudo*), *auctoritas, ratio*[53] et Terentianum his tribus contentum normis: *historia, originatio* (= ἐτυμολογία), *proportio* (=ἀναλογία). Mihi Terentianum systema ad Verrianum propius accedere vel eam ob causam videtur, quod cum hoc tum illud non quattuor, sed tres normas agnosci iussit. Sed utcumque de hac re potest iudicari, illud dignum est, quod iam nunc pro certo accipiatur: Terentius Scaurus cum Varronianis normis nihil habet commune[54].

[47] *Latinitas quid est? Observatio incorrupte loquendi secundum Romanam linguam. Quot modis constat Latinitas? Tribus. Quibus? Ratione, auctoritate, consuetudine* (G. L. K. VI 189,2).

[48] G. L. K. V 494,3.

[49] G. L. K. VII 322, 21.

[50] = Fr. 1. Verrianarum *Epistularum* (Funai. l. l. p. 511).

[51] Conf. infra p. 100.

[52] Quo modo quattuor Latinitatis normae Varronianae a posteris, velut Plinio Caproque, essent mutatae, Barwick copiose luculenterque exposuit (l. l. p. 203 sqq.).

[53] Cuius vestigia apud posteros — Victorinum, Augustinum, Audacem scilicet — deprehenduntur.

[54] Systema trium normarum, inferioris aevi proprium ac peculiare, natum esse e systemate quattuor normarum Usener (l. l. p. 297 sq.) demonstrare studuit, quod posteri veriloquiis explicandis parum operae dare consuevissent (*Dazu mag freilich auch der Umstand mitgewirkt haben, dass von der späteren Schulgrammatik Roms die Etymologie ganz auffallend vernachlässigt worden ist.* l. l. p. 298).

Sed ne rem in medio relinquamus neve qui sit dubitationi locus, illud nunc vel breviter est anquirendum, quibus normis Scaurus in *Quaestionibus* sit usus. Saepissime *rationem* grammaticus dicit testemque invocat, quae vox (pariter ac vox *regula*) apud grammaticos idem fere significat atque *analogia*. Etsi Diomedes, ut supra exposuimus, inter normas Varronianas solam *analogiam* expressis dixit verbis, tamen Varronem etiam nominibus *ratio* et *regula* uti esse solitum vel ex eo cognoscitur, quod Pansa, Varronem secutus[55], iisdem nominibus uti consuevit, ut Barwick ostendit[56]. Ac scito quidem Scaurum in *Quaestionibus* saepius ad analogiam provocantem plerumque voce *ratio* esse usum[57], bis voce *regula*[58], bis *analogia*[59]. De norma priore paucis rem absolvere licet: Scaurus semel nomine *originatio* utitur[60], sed germana norma Varroniana subaudiri videtur in eis, quae p. 20, 6 leguntur: *ne una omnino dictio adversus latini sermonis naturam media aspiretur*. Summa cautione opus erit, si quid de norma *auctoritatis* volemus statuere: licet *historia*, quam in *Prooemio* dicit Scaurus, plane respondeat *auctoritati*, a Varrone inter Latinitatis normas enumeratae, tamen dignum est, quod vocem *historia* in *Quaestionibus* numquam esse adhibitam observetur. At grammaticus saepius ad *consuetudinem* provocat eaque norma in recte scribendi praeceptis tractandis utitur[61]. Quid igitur de re tota iudicari potest? Ita res tractata videtur esse, ut Scaurus in *Quaestionibus* plane contempserit normas aut certe earum nomina, normas dico, quas in *Prooemio* enumerasset. Quae res ut plane possit intellegi, illud est tenendum — quod infra apparebit — *Quaestiones* Varronianae doctrinae esse plenas Varronianaque doctrina velut fundamento niti. Var-

Quod esse falsum Serviana de tribus normis Verrianis mentione luculenter evincitur, nam si iam Verrius systemate trium normarum usus est, non multum afuit, quin systema trium normarum systemati quattuor normarum paene esset aetate suppar.

[55] Barwick l. l. p. 183 sqq.

[56] l. l. p. 185.

[57] *nihilo minus tamen ratio exiliter et enuntiandum et scribendum esse persuadet* (p. 20,5); *quamvis recuset ratio* (20,9); *utramque partem ratio defendit* (20,11); *per detractionem hoc modo scribendi ratio corrupta est* (22,4) et quae sunt similia.

[58] *exigente regula, ut in horum genetivis i littera geminetur* (p. 22,6), cf. 19.2.

[59] *nam secundum analogiam magnus superlativo magnissimus facit* (p. 24,21); *quamquam secundum analogiam omnes partes orationis, quae per casus declinantur, eandem litteram in prima parte per omnes casus servent...* (p. 28,3).

[60] *ita et in hoc propter* συγκοπήν *geminandum s putaverunt, ut originatio appareret* (p. 22,2).

[61] *et pulchrum, quamvis in consuetudine aspiretur* (20.4): *vindicat tamen consuetudo* (p. 20.19): *ut consuetudo usurparit* (22,10).

ronianam esse compositionem — nam res secundum quattuor Varronianas categorias est disposita, *adiectionem* scilicet, *detractionem*, *mutationem*, *conexionem* — Varroniana esse ipsa recte scribendi praecepta. Si igitur Scaurus in *Prooemio* non quattuor, sed tres normas enumeravit, si eis diversa imposuit nomina, si denique ipse in *Quaestionibus* diversis utitur normis vel certe diversis normarum nominibus, certe ea *Prooemii* pars, qua de orthoepiae orthographiaeque normis sermo est, non Varrone, sed alio nititur auctore. Itaque ut summam faciam, *Prooemium* duabus e partibus constare videtur: quae p. 11,1—12,5 leguntur, e Varrone auctore pendent, quibus altera pars 12,5—22, aliunde hausta, est adiuncta.

Iam supra pollicitus sum me esse demonstraturum Terentii Scauri *Quaestiones* Varroniana doctrina scatere: itaque par est, ut nunc promisso stem. Ex eis, quae supra exposui, satis apparet *Quaestiones* quattuor e partibus constare, secundum quattuor vitiorum genera dispositis: *adiectio* tractatur p. 18,12—22,3, *detractio* p. 22,4—24,8, *mutatio* p. 24,9—28,12, *conexio* p. 28,13—16. Unaquaeque *Quaestionum* pars in aliquot particulas, singulas res aut certe singula vocabula continentes, dividitur. Quodsi Varroniana ex unaquaque *Quaestionum* parte eruere volemus, primum locos tractare oportet, quibus grammaticus rite Varronis attulit nomen[62]. De particula p. 18,12—19,12 obvia facilis est coniectura, nam Scaurus p. 19,6 Varronis nomen memoravit, dum in eum invehitur, sed ita invehitur, ut omnem materiam omniaque exempla ei surripuisse videatur; certe cum Wilmanns tum Funaioli ea, quae exstant p. 18,23—19,12, in Varronianorum fragmentorum numero collocaverunt (fr. 44 W.=272 F.)[63] neque aliter de prioris partis auctore esse cogitandum iure Funaioli divinando coniecit[64], quam opinionem ex probabili certissimam fieri alibi monui[65]. Itaque non solum ipsa doctrina mentioque de Accio geminatis vocalibus natura longas scribi iubente, sed etiam tria fragmenta Luciliana (v. 351 Marx = fr. 7 Fun.; v. 352—5 M.=8 F.; v. 358—61 M.=fr. 10 F.) Varroniano thesauro debentur, qui toti particulae Terentianae (p. 18,12—19,12) materiam suppeditavit.

Sequitur altera particula, quae p. 19,13—20,8 legitur, quae et ipsa Varronis exhibet nomen, religiosissime allatum (p. 20,2), sed cum plura vocabula enumerentur atque de eorum orthographia dissera-

[62] Conf. supra p. 89 adn. 3.
[63] Conf. Wilmanns, l. l. p. 86 sq.
[64] l. l. p. 293.
[65] *De Velii Longi auctoribus* p. 15 sq.

tur, vereor, ne quis Varronis nomen ad solam mediam particulae partem pertinere ratus praeiudicii me arguat, si totam particulam Varroni dederim. Atque scito quidem cum Wilmannsium tum Funaiolium eam fere totam in Varronianorum fragmentorum numero collocasse (fr. 58[a] W.=280[c] F.) et recte collocasse[66]: nam etsi Varronis nomen soli de *Graccho* mentioni adiunctum est, de quo quaeritur, an media parte debeat aspirari, tamen quae sequitur mentio adiectivi *pulchrum*, quod grammaticus aspirari vetat, Varronianae doctrinae manifestam prae se fert speciem; nam quae Scaurus auctoris nomine non allato scripsit: *et pulchrum, quamvis in consuetudine aspiretur, nihilo minus tamen ratio exiliter et enuntiandum et scribendum esse persuadet, ne una omnino dictio adversus latini sermonis naturam media aspiretur*, reapse esse Varroniana Charisius disertis testatur verbis dicens haec: *pulchrum Varro aspirari debere negat, ne duabus consonantibus media intercedat aspiratio* (fr. 58[d] W.=280[c] F.). Quae cum ita sint, etiam extrema huius particulae pars e Varronianae doctrinae penu est deprompta; etiam mentionem de Santra, illius *pulchrum* veriloquium e verbo Graeco derivante, e Varronianis copiis esse haustam quin credam, retineri nequeo: ita enim videtur esse factum, ut Varro Santrae iniceret mentionem in eumque invcheretur, Scaurus autem e Varronis libris Santrae nomen in *Quaestiones* suas transferret, tamquam ipse eius scripta adisset et evolvisset[67]. Sed ne initium quidem huiusce particulae a Varrone potest abiudicari — verba de illis *reprehensus* et *vehemens* facta dico — quippe quod apud Velium Longum recurrat[68] et ita quidem recurrat, ut de Varroniana origine non sit, quod dubitetur[69]. Itaque statuere licet totam Terentii Scauri particulam, quam tractamus, reapse Varroniana doctrina velut fundamento niti neque iniuria a doctis inter Varroniana fragmenta esse receptam.

Tertius locus, quo Varro a Terentio Scauro nominatim est laudatus, exstat p. 27, 11: sed de eo melius erit infra dicere, eo scilicet loco, quo de formula *quaeritur* sermo erit.

Nunc eas tractabo particulas, quae etsi Varronis nomine carent, certa ratione ad eum possunt revocari auctorem, cum doctrinam ibi expositam Varronianam esse ex eis appareat, quae de iisdem rebus alii tradidere grammatici. Incipiam a particula 22,4—13,

[66] Conf. Wilmanns, l. l. p. 85 sq., 93 sqq.
[67] Conf. *De Velii Longi auct.* p. 17 adn. 20.
[68] G. L. K. VII 68,14 (fr. 58 W. = 280 F.).
[69] Conf. *De Velii Longi auct.* p. 16 sq.

de qua perfacile est iudicatu, cum disputet Scaurus de casu genetivo nominum in *-ius* exeuntium atque quaestionem suscipit tractandam, utrum genetivus per unum *i* an per duo *i* scribi debeat. Quae omnia Varrone auctore niti certum est, cum in fragmento Varroniano, e Charisio a doctis eruto (fr. 17 W.=252 F.) de eadem re Varronis nomine probe allato disputatum sit. Utroque loco eadem fere doctrina in medium prolata est, nam Terentius Scaurus idcirco genetivum casum per duo *i* scribi oportere asseverat, ut et nominativus et genetivus casus parem habeant syllabarum numerum: idem de casu vocativo iudicari debere. At idem etiam Varronem docuisse easdemque esse normas tenendas exposuisse Charisius testis est, quae res tum demum plane fiet manifesta, cum utrumque locum accuratius inter se contulerimus[70]:

Terent. Scaurus G. L. K. VII 22,4—13:

Deinde per detractionem hoc modo scribendi ratio corrupta est, quibusdam uno i scribentibus genetivum eorum nominum quae ius nominativo singulari finiuntur, ut Antonius Antoni, Tremelius Tremeli, exigente regula ut in horum genetivis i littera geminetur, quoniam genetivus singularis non debet minorem numerum habere syllabarum quam nominativus, quin immo interdum etiam maior fit. propter quam causam ego etiam vocativos horum per duo i, non, ut consuetudo usurpavit, per unum putem esse scribendos, quia non debeat aeque vocativus minorem numerum syllabarum habere quam nominativus. ita o Antonii et o Aemilii in singulari vocativo et dicendum et scribendum esse contenderim.

Charisius G. L. K. I 78,4— (=Varronis fr. 252 F.)

Lucius et Aemilius et cetera nomina quae ante u habent i, duplici ii genetivo singulari finiri debent, ne necesse sit adversus observationem nominum nominativo minorem fieri genetivum; idque Varro tradens adicit vocativum singularem quoque talium nominum per duplex ii scribi debere, sed e. q. s.

[70] De Varronis norma nuper fusius disputavi in opusculo, quod inscribitur *De Ps.-Capri „Orthographia"*, Eus Supplementa vol. XXI, Wratislaviae 1949, p. 36 sqq.

Quid plura? Res tam clara est tamque manifesta, ut vix ambigatur, quin Scaurus hoc loco Varronem auctorem potissimum sit secutus atque Varronianis thesauris debuerit, quidquid de casu genetivo nominum in *-ius* desinentium disseruerit, nam et Scaurus et Charisius eandem fere doctrinam in medium protulerunt, eo discrimine interposito, quod Scaurus auctoris nomen reticuit, Charisius non item. Itaque Charisius testatur Varronem, a se rite allatum, etiam Terentio Scauro materiam praebuisse atque totius fere particulae Terentianae (p. 22,4—13) auctorem fuisse[71].

Sequitur particula 22,17—24,2, qua de H littera eiusque vi sermo est. Atque primum quidem attulit Terentius Scaurus opinionem quorundam grammaticorum, qui vocabula ab illo Y incipientia littera H privant, quod eam pro littera non habeant. Qua re memorata grammaticus ipse suam sententiam istis opposuit, cum H litteram esse dixit multaque eius rei comprobandae gratia attulit argumenta. Itaque quaestio oboriatur necesse est, quem in mente Scaurus habeat, qui illud H litteram esse negaverit. Equidem vix queo retineri, quin cogitem de Varrone, quem constat H litteram pro supervacanea habuisse atque e litterarum Romanarum ordine eiecisse[72] — id quod Priscianus luculenter testatur dicens haec: *auctoritas tam Varronis quam Macri teste Censorino nec k nec q nec h in numero adhibet litterarum*[73]. Accedunt Cornuti verba de eadem re facta, quae summa cum Terentio Scauro utuntur similitudine, eo autem ab orthographi differunt verbis, quod Cornutus Varronis nomen ter rite attulit (G. L. K. VII 152,8—153,6). Itaque Scaurus cum vanam illam de H littera opinionem impugnat, Varronem impugnat atque argumenta aut e suae ipsius doctrinae penu aut e grammatici nesciocuius copiis hausta rei comprobandae gratia in medium profert: utcumque fuit, certe ne haec quidem particula Varronianis caret vestigiis, immo Varrone velut fundamento nititur, in quem Terentius Scaurus invehitur disertisque verbis sententiam comprobare studet suam.

[71] Equidem etiam mentionem de vocibus *exul* et *expectatus* in ipso huiusce particulae exitu stantem libenter ad Varronem auctorem rettulerim, licet certiora indicia desiderari minime me praetereat.

[72] De Varrone H litteram esse negante scite exposuit Wilmanns l. l. p. 93 sqq. Conf. Barwick l. l. p. 230 et Strzelecki, *De litterarum Romanarum nominibus*, Prace Wrocławskiego Tow. Nauk., Wratislaviae 1948, Ser. A. Nr. 19 p. 29 sqq.

[73] G. L. K. II 13,8 = fr. 105 W., 240 F., conf. Ps.-Serg. G. L. K. IV 520, 18—26. = Varronis fragmentum 241 F.

Iisdem fere rationibus adducti de particula p. 25,13—16 obvia eiusque auctore iudicium possumus ferre: quo quidem loco affert Scaurus sententiam quorundam grammaticorum, quorum nomen reticuit, illud Y pro supervacaneo habentium, quibus suam ipsius opinionem opponit; en tibi ipsa Scauri verba: *Y litteram supervacuam latino sermoni putaverunt, quoniam pro illa u cederet* (25,13). Si quaeretur, quem virum, Y litteram ex abecedario Latino eici iubentem, grammaticus dicat, veniat nobis necesse est in mentem Varronis, quem constat ita de illa littera iudicasse; nam Ps.-Sergius *Expl. in Donat.* G. L. K. IV 519,11 quod dicit: *litterae Latinae cum XXIII sint, Varro XVII dicit esse; ceteras superfluas putat* (= fr. 239 F.), apud Varronem Y litterae nullum fuisse locum manifesto testatur. Adde Diomedis verba G. L. K. I 423,31, quae etsi Varronis carent nomine, quin ad eum redeant, nemo dubitat: *quidam Latino sermoni sufficere decem et septem litteras crediderunt, siquidem ex viginti et tribus una adspirationis nota est, h, una duplex x, duae supervacuae k et q, duae Graecae y et z*[74]. Huc accedit, quod in Terentii Scauri verbis *Y litteram supervacuam latino sermoni putaverunt* Varroniani operis titulus quodam modo subauditur, opus dico, quod constat *De sermone Latino ad Marcellum* inscriptum fuisse: iam quis ierit infitias Terentium Scaurum etiam hoc loco Varronis impugnare opinionem suamque ipsum Reatino opponere sententiam? Certe igitur particula 25,13—16 Varronianis thesauris velut fundamentis nititur.

Neque aliter iudicari potest de particula, quae legitur p. 27,18—28,5: simili enim modo Scaurus invehitur in eos, qui Q litteram ab abecedario Latino abiudicant, quorum sententia improbata suam ipsius profert opinionem. Atque illud imprimis teneto Scaurum neminem nisi Varronem in mente habere posse, nam Varronem scimus Q litteram a sermone Latino alienissimam putasse, ut Varronis fragmentum 240 F. supra allatum atque Diomedis verba G. L. K. I 423,31 satis superque declarant[75]. Quae cum ita sint, ne hanc quidem particulam Varroniano fundamento carere concludendum est.

---

[74] Conf. Usener l. l. p. 310 adn. 128; Jeep, *Zur Geschichte der Lehre von den Redetheilen bei den lateinischen Grammatikern*, Leipzig 1893, p. 112; Funaioli l. l. p. 268 ad locum. Conf. praeterea Strzelecki, *De litterarum Rom. nom.* p. 30 et adn. 71.

[75] Conf. *De litterarum Rom. nom.* p. 29 sqq.

Priusquam ultra progrediar, non inutile erit paucis in memoriam ea revocare, quae in disputatiuncula q. i: *De Velii Longi auctoribus quaestiones* assecutus sum: docui enim formulam *quaeritur* vel alias eius persimiles, ut puta *quaesitum est*, *quaerendum erat* et quae essent similia, Varronem sapere auctorem omnesque Velii Longi particulas formula illa insignitas e Varronianis scriniis esse delibatas; idem in alios grammaticos cadere formulamque illam in Varronianis reliquiis eruendis praecipuo esse nobis auxilio ibidem leviter admonui[76]. Itaque nunc exquirendum est, quid de eis Terentii Scauri locis, qui illo *quaeritur* aut certe alia formula illius simili sint insigniti, possit iudicari. Incipiamus a particula p. 24,9—25,12 obvia. Atque ea quidem particula in ipso capite eandem exhibet formulam (*Sequitur mutatio, in qua multa quaeruntur*), quae media parte iterum repetitur: *in vocalibus ergo quaeritur, maximus an maxumus, id est per u an per i, debeat scribi*: *item optimus et optumus et artibus et artubus et manibus et manubus* (p. 24,13). Itaque iam ipsae formulae Scaurum in hac particula e Varronianis silvis esse lignatum satis declarant: ex eis, quae in disputatiuncula supra allata exposui, satis apparet opinionem illam pro certa esse accipiendam. Sed res ex certa fiet certissima, si Cornutum Cassiodorii (G. L. K. VII 150, 10 [=fragmentum Varronis 43 Wilm., 269 Fun.]) contulerimus, apud quem eadem fere leguntur, sed ea re a Terentii Scauri differunt verbis, quod Cornutus Varronis nomen rite attulit[77]:

lacrumae an lacrimae, maxumus an maximus, et siqua similia sunt, quo modo scribi debeant, quaesitum est. Terentius Varro tradidit Caesarem per i eiusmodi verba solitum esse enuntiare et scribere: inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam.

Itaque non est, quod de Varroniana huiusce particulae origine iam amplius possit dubitari. Eadem fere formula bis usus est Scaurus in particula 27,3—17 obvia, quos locos breviter perscriptos afferre velim: *quaesitum est, hiems utrum per ps an per ms deberet scribi* (27,3), *non carent quaestione etiam plebs et urbs et Pelops* (27,11). Itaque suspicio subit etiam hoc loco cum Varronianae rem esse nobis doctrinae vestigiis, quae suspicio certissima fit, siquidem ipse Scaurus Varronis nomen non neglexit afferre: *quae Varro ita distinguit, ut per b et s ea nominativo casu putet esse scribenda,*

[76] p. 20 sq.
[77] Conf. Wilmanns, l. l. p. 88.

quae eandem litteram genetivo ⟨singulari⟩ reddant e. q. s. (p. 27,11). Quo factum est, ut particulae illius Terentianae verba, quae p. 27,11—15 leguntur, inter Varroniana fragmenta vulgo reciperentur (fr. 47 W.=274 F.)[78]. Sed ego Varronianorum fragmentorum editoribus illud vitio tribuerim, quod parcius, quam fas erat, Varroniana perscripserint verba; etenim prior particulae pars quam artissimo vinculo coniuncta est cum altera parte, quam Varronianam esse ipsum Reatini nomen certissimo est nobis documento. Accedit norma, qua adductus grammaticus nomen *hiems* P littera carere debere nihilque ei esse dixit commune cum ψ, quod quae in eam terminentur, in casu genetivo in πος aut βος exeant sit necesse. At haec est eadem norma Varroniana, quam attulit grammaticus paulo inferius quamque esse Varronianam ipse est professus[79]. Adde, quod in ipso particulae capite illud *quaesitum est* occurrit. Itaque non dubitandum puto, quin totius particulae fundamentum Varronianum sit, nisi quod in ipso eius exitu Scaurus e suae doctrinae penu perpauca addidit suamque sententiam breviter exposuit[80]. Etiam ea, quae in medium inter duas partes sunt inserta, — praecepta de illis *obscurum, observo, obsido* data dico[81] — quaeque tantopere continuam rei turbant tractationem, ab ipso Scauro huc illata esse neque quicquam cum Varrone commune habere videntur. Sed illa minora nihili facio, siquidem de totius particulae eiusque amplissimae plane liquet auctore.

Restant duae particulae illud *quaesitum est* exhibentes, quarum una obvia est p. 24,3—8, altera p. 25,17—27,2: etsi doctrina in eis prolata aliis testimoniis Varroniana esse non evincitur nihilque nisi illud *quaesitum est* Varronem auctorem indicat, tamen, siquid video, alia argumenta quaerere opus non est: nam si in Velii Longi fontibus indagandis illas formulas solius Varronis proprias esse edocui, si supra aliquot particulas Terentianas iisdem formulis insignitas Varroniana doctrina scatere aliis argumentis usus com-

[78] Conf. Wilmanns, l. l. p. 87.

[79] *quae Varro ita distinguit, ut per b et s ea nominativo casu putet esse scribenda, quae eandem litteram genetivo ⟨singulari⟩ reddant, ut plebs plebis, urbs urbis, ea vero per p et s, quae similiter genetivo eiusdem [modi] numeri in pis excurrant, ut Pelops, Pelopis* (= fr. 47 W., 274 F., conf. Wilmanns, l. l. p. 93).

[80] *sed nobis utrumque per ps videtur esse scribendum, quoniam ex his Ψ littera constet, quam genetivo diximus aut in bis aut in pis exire* (p. 27,15).

[81] *item non constat, obscurum utrum per ob an per op debeat scribi, nec minus observo obsido, cum in illis b littera evidenter sonum suum vindicet* (p. 27,9).

monstravi, si etiam apud alios orthographos eadem formula usos haud dubia Varronis vestigia servata sunt[82], num aut audaciae aut certe levitatis arguemur, cum formulae *quaesitum est* confisi utriusque particulae fundamentum Varronianum esse nobis persuaserimus? Non putaverim.

Restat, ut alteram harum particularum ipsius Terentii Scauri additamentis non carere admoneam; nam cum grammaticus dicat haec: *sed nobis, utcumque scribendum, ad eandem significationem videntur pertinere. similiter lego, alligo, colligo, pelligo, ut omnes antiqui dixerunt: unde et apud Vergilium legendum „pelligerent oculis" non „perlegerent"* (p. 26,6), iam illo *sed nobis* edocemur rem esse hoc loco cum ipsius Scauri supplemento, nam alibi quoque similem in modum suas ipsius sententias grammaticus proferre solet[83]. Atque haec quidem opinio comprobatur ea re, quod allatus est Vergilii versus, qui nullo pacto e Varronis scriptis potest provenire atque ab ipso Scauro additus videtur esse. Sed fundamentum particulae (p. 25,17—27,2), ut iam supra dixi, Varronianum est neque aliter de particula 24,3—8 iudicare licet.

Hactenus de Varronianae doctrinae vestigiis in Terentii Scauri *Quaestionibus* obviis. Longam permensi sumus viam, sed tamen permetiendo effecisse videmur, ut crederetur, quam amplae *Quaestionum* partes ad ipsos Varronianos redirent thesauros Varronianaque doctrina essent referti. Quae enim restant particulae 20,9—17; 21,1—9; 21,10—22,3; 25,17—27,2; 28,6—28,12; 28,13—16[84], comparatae cum eis, quarum Varronianam originem comprobasse videmur, vix — ac ne vix quidem — tertiam *Quaestionum* explent partem.

Putaverit quispiam fieri potuisse, ut Terentius Scaurus ipsa Varronis scripta evolvere neglegeret, Varronis autem doctrina per scripta aliorum grammaticorum, Varrone inferiorum — imprimis

[82] Sat est hos Cornuti attulisse locos: *Lacrumae an lacrimae, maxumus an maximus, et siqua similia sunt, quo modo scribi debeant, quaesitum est. Terentius Varro tradidit Caesarem per i eiusmodi verba solitum esse enuntiare et scribere* e. q. s. (G. L. K. VII 150,10 = fr. 43 W., 269 F.). *H sicut in quaestione est, littera sit necne... quod solus Varro dubitat... sed Varronem praeterit consonantem ideo secundo loco h recipere... praeterea in libro qui est de grammatica Varro... h inter litteras non esse disputavit* (G. L. K. VII 152,8).

[83] Conf.: *sed nobis utrumque per ps videtur esse scribendum...* (p. 27,15); *sed nos cum illa u litteram... consentire iam demonstravimus* (p. 27,19).

[84] Etiam in hisce particulis Varroniana possunt latere, licet certiora indicia desiderentur.

per Verrii Flacci *de orthographia* libros — ad eum permanaret, id quod Mackensen demonstrare studuit[85]. Sed illud velim memoria teneas non solum doctrinam in *Quaestionibus* expositam e Varrone pendere, verum etiam Varronianas recte scribendi normas esse adhibitas[86] et — quod maximum est — *Quaestionum* compositionem esse Varronianam: nam ut iam supra saepius dixi, *Quaestiones* in quattuor partes sunt divisae — *adiectionem*, *detractionem*, *mutationem*, *conexionem* — quae quadrupla divisio ad Varronem auctorem redit. Quod si Varro scribendi vitia in quattuor distribuerat classes, facere non potuit, quin in easdem quattuor partes omnem disputandi materiam divideret; itaque Varroniana compositio eadem fere fuit atque nunc Terentianarum *Quaestionum* est. Ergo nullo pacto potuit fieri, ut Terentius Scaurus Varronis scriptis non uteretur, nisi per aliorum grammaticorum volumina, immo certum est eum ipsius Varronis scripta adisse et excerpsisse, non ita tamen, ut solis excerptis factis acquiesceret, cum saepe in Varronem inveheretur atque nonnulla e suae doctrinae penu hausta Varronianis immisceret thesauris. Atque nihil impedit, quominus de Varronis libris *de sermone Latino ad Marcellum* inscriptis cogitemus, cum constet his potissimum in libris Varronem de recte scribendi disputasse praeceptis cumque dudum docti sibi persuaserint quae Varroniana apud orthographos essent obvia, ad eos Reatini redire libros[87].

Itaque ut summam faciam atque disputatiunculae ultimam manum imponam, satis, credo, docui, quare *Prooemii* prior pars

---

[85] Conf. supra adn. 8—9.

[86] Confer ea, quae supra disserui de orthographiae orthoepiaeque normis in *Quaestionibus* adhibitis, quae sunt *ratio*, *regula*, *analogia*, *consuetudo* e. q. s. (p. 96 sqq.).

[87] Conf. Wilmanns l. l. p. 84 sqq. Quocum non discrepat, quod nonnulli Terentii Scauri loci, quos e Varronianis silvis delibatos esse ostendimus, faciunt cum fragmentis Varronianis non ad libros *de sermone Latino*, sed ad alia Reatini opera redeuntibus: ex. gr., quae apud Scaurum de H littera dicta leguntur (p. 22,17—24,2) quaeque Varroniana esse statui (conf. supra p. 104), in Varronis *Disciplinarum* l. I *de Grammatica* inscripto tractata fuisse Cornutus testis est (G. L. K. VII 153,1 = fr. 95 W., 49 F.). Quicumque tamen Varronianam novit rationem, concedat necesse est eum saepe in variis operibus easdem res tractasse saepiusque suas ipsius opiniones iterum ac tertium repetiisse. Nihil igitur obstat, quominus Varro in libris *de sermone Latino* inscriptis ea repetiisse, quae aliis in operibus tractavisset aut aliis in operibus ea repertiisse credatur, quae in libris *de sermone Latino* exposuisset.

atque *Quaestiones* artissime inter sese cohaerere et Varrone auctore inniti viderentur. Non nego etiam in *Capite de litteris* Varroniana posse latere, sed ut plane eluceat, quaenam illius capitis partes ad Varronem redeant auctorem quosve per rivulos huc permanaverint atque quibus fontibus in illo capite componendo Scaurus sit usus, peculiari opus est inquisitione. In praesentia satis habeo docuisse, quid esset iudicandum de *Prooemii* et *Quaestionum* compositione atque auctore.

Wratislaviae

AD LITTERAS ROMANAS SYMBOLAE DUAE

Scripsit

STEPHANUS OŚWIECIMSKI

I. De Hostilio qui dicitur mimographus

De Hostilio, quem vulgo scriptores historiae litterarum Romanarum mimographum dicunt[1], Tertullianus solus isque perpauca in *Apologetico* 15 (et iisdem fere verbis in libro *Ad Nationes* I 10) commemorat. Sunt tamen indicia quaedam, quibus ductus rem longe aliter, quam adhuc videbatur, se habere puto. Haec enim altius perspicienda esse censeo: 1. rectene Hostilius mimographus existimetur, 2. quid sit proprii nominis ei, quem Hostilium vulgo appellamus.

1. Hostilium non mimographum, sed mimum fuisse.

Tertullianus ita in *Apologetico* 15 dicit: *Cetera lasciviae ingenia etiam voluptatibus vestris per deorum dedecus operantur. Despicite Lentulorum et Hostiliorum venustates, utrum mimos an deos vestros in iocis et strophis rideatis: moechum Anubin et masculum Lunam et Dianam flagellatam et Iovis mortui testamentum recitatum et tres Hercules famelicos inrisos.*

Sententia, quae subiecta est huic loco, altius perspecta facile conspici potest Tertullianum non de scriptoribus, sed de actoribus fabularum mimicarum loqui. Tertulliani enim interest non tanti commemorare, quas fabulas malitiosas de deis scriptores quidam fingant, quanti demonstrare, quo modo dei coram publico irrideantur (*voluptatibus vestris*). *Despicite* (de cavea scilicet, quae supra, in scaenam, quae infra fuit)[2] — ait — (mimorum illas) *venustates* (et considerate), *utrum mimos an deos... rideatis*! Quid autem subiciendum sit sub voce *mimorum*, perspicuum ac manifestum est ex comparatione cum verbo *deorum*. Hoc vocabulo Tertullianus nil nisi actores mimicos significare solet, ut apparet e libro *De spectaculis*, ubi legimus in cap. 25: *Pacem, opinor, habebit in animo contendens pro auriga, pudicitiam ediscet attonitus in mimos... ... tragoedo vociferante* etc., et

[1] Cf. etiam H. Reich, *Der Mimus*, 1903, p. 111 sq.

[2] Lectio *dispicite* invenitur plerumque in editionibus, in libris autem manu scriptis est *despicite*.

praecipue e cap. 17: *quam* (spurcitiam) *Atellanus gesticulatur, quam mimus etiam per muliebres res repraesentat, sensum sexus et pudoris exterminans, ut facilius domi quam in scaena erubescant,... denique pantomimus a pueritia patitur ex corpore, ut artifex esse possit.* Scimus nunc etiam, quae sint istae venustates, quas Tertullianus Lentulo et Hostilio obiectat. Satis est commemorare *moechum Anubin, masculum Lunam* vel etiam *Dianam flagellatam* et ad hoc item ea, quae Tertullianus de impudica actione mimi narrat in libro *De spectaculis*, ut intellegamus, quatenus illae *venustates* positae sint imprimis in eo more modoque, quo fabula a mimis cum homines tum deos impudice irridentibus populo spectante et applaudente repraesentari solebat.

Magno auxilio meae opinioni est coniectura Ottonis Crusii, qui in dissertatione *Über das Phantastische im Mimus* (N. Jahrb. 1910, p. 81—102) in pag. 85 sqq. (praecipue 93—98), omnibus, opinor, vel saltem plerisque reliquiis et testimoniis, quae de mimo manserunt, perpensis, contra Hermannum Reich[3], I. A. Fuehr[4], Ottonem Ribbeck[5], L. Friedlaender[6], Th. Mommsen[7] negat ullum singulare genus fabulosum mimi, quod mythologicum dicatur, fuisse. Ea enim, quae fabulosa in mimo inveniamus, quodam modo, aut ut somnia aut narrationes aut sub alia aliqua specie, argumento mimi inserta esse dicit[8]. Quamquam Crusius modum non servat et ipse nonnumquam — ut ita dicam — „fabulosa" narrat[9],

[3] Op. cit. p. 112 sq., 190, 240, 582, 593 sqq.

[4] *De mimis Graecorum* p. 50 sqq.

[5] *Gesch. der röm. Dichtung*, Stuttgart 1892—1900, vol. I p. 226 sq.

[6] *Sittengeschichte Roms*, Leipzig 1889, vol. II p. 437. Friedlaender re vera cum Crusio (p. 98) consentit, uterque enim dicit mimos mythologicos, si omnino acciderint, rarissimos ac praeter consuetudinem fuisse.

[7] *Röm. Gesch.*, vol. III p. 590.

[8] p. 92 sq. et 102.

[9] E modo, quo Crusius rem exponit, et argumentis, quibus utitur, effici videtur, ut vir ille doctus ad demonstrandum sibi proposuerit nihil, quod fabulosum in mimo esset, in scaena actum, sed narrando repraesentatum esse. Hoc autem plane falsum est. Recte Reich (p. 113, adn. 1) commemorat hunc locum Tertulliani *De spect.* 23: *Placebit et ille, qui voltus suos novacula mutat, infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno et Isidi et Libero proximam facere insuper contumeliis alaparum sic obicit, tamquam de praecepto domini* (scilicet de interdictione similitudinis faciendae: *De idololatria* 4) *ludat? Docet scilicet et diabolus verberandam maxillam patienter offerre.* Ceterum ipse Crusius (p. 101 sq.) fatetur non manifestum esse, quo modo in mimis, quos Tertullianus affert, materia fabulosa in scaena prolata sit.

id tamen, quod tacitus subiecit, certum esse videtur. Sequitur enim, ut in nulla fere fabula mimica nomen dei aut herois inscriptum sit[10]. Si autem ita fuerit, tanto magis nulla causa sit, cur ea verba, quae Tertullianus de mimis quibusdam pronuntiat, inscriptiones fabularum ducamus et Lentulum Hostiliumque scriptores iudicemus. Non primas enim personas dramatis, sed eas, quae ad deos pertinent, inducere vult Tertullianus, quo facilius deis cum obscenis histrionibus comparatis appareat, quantas contumelias patiantur dii in scaena. Idem fere dicit Tertullianus eodem loco *Apologetici* de alio genere ludorum scaenicorum: *Ipsum quod imago dei vestri ignominiosum caput et famosum vestit, quod corpus impurum et ad istam artem effeminatione productum Minervam aliquam vel Herculem repraesentat, nonne violatur maiestas et divinitas constupratur plaudentibus vobis?*[11]

Suntne igitur Lentulus et Hostilius nobilissimi histriones Tertullianeae aetatis, qui arte sua praecipuam gloriam actorum atque irrisorum deorum adepti sunt? Vero haud dissimile hoc est, pro certo tamen cave habeas. Quamquam enim, quantum scimus, non longa est vita gloriae histrionicae, tanta tamen potuit esse gloria illis scaenicis obtrectatoribus deorum, ut Tertullianus nomine eorum eiusdem generis mimos, qui hoc quidem tempore Anubin, Lunam, Dianam aliosque videlicet deos agerent, appellaverit. Inde fortasse non de Lentulo et Hostilio, sed de pluribus Lentulis et Hostiliis loquitur. Equidem tamen persuasum mihi habeo Lentulum et Hostilium Tertulliani, ut supra dixi, aequales mimos fuisse.

Quamquam Lentulus (si scilicet idem est atque is, de quo hoc loco agitur) mimographus haud dubie fuit, ut efficitur e certis testimoniis et Hieronymi (*et quasi mimum Philistionis vel Lentuli ac Marulli stropham eleganti sermone confictam*: *Adv. Rufin.* II p. 414) et Tertulliani ipsius (*pugil Cleomachus... meritoque mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratus*: *De pallio* 4), fuit tamen simul et histrio, ut mos erat antiquis scriptoribus scaenicis, si satis est commemorare ex Romanis et Laberium et praecipue Publilium, de quo Macrobius (*Sat.* 2, 7, 7) ita scribit: *Cum mimos componeret ingentique adsensu in Italiae oppidis agere coe-*

[10] Quasdam fabulas excipi e regula potuisse negari non potest.

[11] Cf. eundem fere locum in libro *Ad nationes* I 10.

pisset. De Lentulo autem ita apud Iuvenalem (*Sat.* 8, 187 sq.) legimus:

> *Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,*
> *Iudice me dignus vera cruce.*

Controversia quidem est, mimographum an actorem Iuvenalis commemoret. Alii de mimographo hic dictum esse asseverant propterea, quod de fabula, quae *Laureolus* inscripta sit, his in versibus agatur, alii autem verbo *egit* ducti actorem Laureoli personam gerentem hoc loco vident[12]. Quod et mihi rectum videtur. Histrio enim potius quam scriptor *velox* nominari potest; actori quoque, qui cruci affixum Laureolum egit, magis convenit *vera crux* quam auctori. Idem quoque putavisse videtur Teuffel, *Geschichte der römischen Literatur*, 1875, cap. 8, 7. W. Kroll autem et Fr. Skutsch, qui novissimam (sextam, 1910—1916) editionem operis Teuffelii curaverunt, sine dubitatione Catullum quendam auctorem fabulae, quae *Laureolus* inscripta est, ducunt (cap. 285,1). Et recte quidem. Iuvenalis enim eodem loco ante Lentulum Catullum alterius fabulae auctorem profert: *Damasippe... clamosum ageres ut Phasma Catulli* (8, 186). Alio autem loco (13, 111) *mimum* — inquit — *agit ille, urbani qualem fugitivus scurra Catulli*. Gravissimum tamen testimonium praebet ipse Tertullianus in libro *Adv. Val.* 14: *nullum Catulli Laureolum fuerit exercitata* (enthymesis, figura quaedam arcana apud Valentinianos, humana specie induta)[13].

Ita igitur et Lentulum scriptorem et Lentulum histrionem habemus. Fortasse uterque idem fuit. Ex hoc tamen non efficitur, ut Hostilius quoque mimographus fuerit. Lentulum enim scimus mimographum fuisse, de Hostilio autem nemo idem tradit. Tertullianus autem Lentulum mimum, quem quoque novimus, commemorat.

[12] N. Le Nourry, *Diss. in Q. Sept. Flor. Tertulliani Apologeticum, duos ad nationes libros et unum ad Scapulam* (in Tertull. editione a Fr. Oehler curata, vol. III) p. 454, utrumque et mimum et mimographum a poeta Romano simul memoratum esse putavit. Nec mirum videtur. Nulla est tamen ratio argumentandi, qua utitur vir doctus ille, dum asseverat Iuvenalem, si de histrione tantum locutus esset, non unum, sed plures actores commemoraturum fuisse. Quid? Certe plures fabulam agunt. Atqui nobilissimum quemque aut eum, qui primas partes agit, actorem nos quoque efferre solemus.

[13] Cf. etiam Martial. *Spect.* 7,4. Sueton, *Calig.* 57. Ioseph. *Antiqu.* 19, 1,13. Scholia in Iuven. 8,187 sq.

2. Hostilio duplex nomen Hostio Hostilio fuisse.

Adhuc histrionem illum Hostilium appellamus. Hoc enim ei nomen est apud nostros scriptores historiae litterarum Romanarum: ita quoque appellat eum Tertullianus in *Apologetico*. Sed in libro *Ad nationes* I 10, ubi Tertullianus eisdem fere atque in *Apologetico* verbis de mimis loquitur, haec legimus: *Despicite apud vos Lentulorum et Hostiorum sacrilegas venustates, utrum mimos an deos vestros in strophis et iocis rideatis.*

Sicut in *Apologetico* lectio *Hostiliorum*, ita in scripto *Ad nationes* lectio *Hostiorum* certissima est. Ita enim est et in codicibus et in editionibus omnibus, cum vetustioribus tum recentioribus. Cur igitur Hostilius, non Hostius dicitur? Cur tamen Hostius, non Hostilius? Utrumque nomen in aequo est. Si etiam Tertullianus casu quodam lapsus est, nullum indicium est, utro loco erraverit. Nemo enim praeter Tertullianum de Hostilio vel Hostio illo commemorat. Ex temporum ordine, quo libri scripti sunt, nihil quoque colligi potest: namque mendum scripturae omnino ex tempore non pendet.

Res eo dignior consideratione est, quod idem Hostio poetae epico, qui libros *De bello Histrico* composuisse dicitur, accidit. Quamquam enim nomen Hostii pluribus testimoniis traditum est[14], in omnibus tamen codicibus Prisciani perspicue legimus (VI p. 270, 8 Hertz): *Hostilius in I annali*[15]. Non meum est disputare, fueritne iste Hostilius idem atque is, quem et Servius et Macrobius et Festus commemorant, necne. Haec res iam explicata esse videtur[16] nec habeo, quod aliter sentiam. Valde potius mirarer, si opus epicum, quale Hostilii *Annales* fuisse videntur, in tantam oblivionem a Romanis adductum esset, ut semel idque per vilissimam occasionem proferretur: *Vetustissimi etiam „hoc pecu", „haec pecua" plurale, dicebant. Hostilius in I annali: saepe greges pecuum ex hibernis pastibus pulsae.* Ex hoc, quod Priscianus versum Hostilii ad verbum exprimit, haud dubium esse videtur, quin *Annales* illius vetustissimi poetae si non integri, at certe in aliqua parte ad tempora Prisciani pervenerint. Omitto quoque sen-

[14] Serv. in *Aen.* 12, 121: *Hostius belli Historici primo.* Macrob. *Sat.* 6, 3, 6: *Hostius poeta in libro secundo belli Histrici*; ibid. 6, 5, 8: *Hostius libro secundo belli Histrici.* Festus 488, 20: *Hostius belli...*, 434, 5: *...tius in belli Hi...*

[15] BGLK — Hostilius, AH — Ostilius, RO — ^{h}Ostilius. Sigla codicum secundum Hertz editorem.

[16] Vid. Pauly-Wiss. RE s. v. *Hostius.*

tentiam eorum, qui, ut Le Nourry, dicunt Hostilium poetam epicum eundem ac Hostilium mimographum fuisse. Neque enim genera litterarum, quae quidem diversissima sunt, nec tempora, quibus et hi poetae (si scilicet Hostilius aliqui mimographus fuit) vixerunt et hae formae litterarum floruerunt, inter se congruunt. Prisciani Hostilius inter vetustissimos manifeste numeratur. Etiam Hostius, *Belli Histrici* auctor, vetustissimus haberi potest, si specie iam epica *Belli Histrici* omissa recte putamus Propertianae Cynthiae nomen proprium Hostiae fuisse. Intellegimus enim tunc, ad quem pertineant haec verba illius poetae elegiaci (3,20,8): *splendidaque a docto fama refulget avo*[17]. Res igitur satis perspicua videtur. Quo facto omnes Prisciani editores Hostilii loco nomen Hostii scribunt.

Hanc tamen correctionem, quae certissimis codicum testimoniis repugnat, inutilem esse censeo. Ex eis enim, quae de Hostio Hostilioque diximus, apparere videtur utrique homini duplex nomen Hostio Hostilio fuisse. Nec mirandum hoc sit, si quaedam honoris et gloriae cupidiores familiae e plebeia gente Hostilia[18], pariter atque ex gente Hostia, nomina sua gentilicia ad libidinem suam pleniora reddere conatae sint, quo manifestius appareret originem suam a Hosto vel Hostio Hostilio gentis regiae conditore duci. Nihilo minus et nostra aetate familiis, quibus nomina virorum illustrium sunt, mos est praenomina quoque illorum assumere. Nihilo secius egisse videtur gens Tullia, quae, quantum perspici potest ex Ciceronis verbis specie iocosis *meo regnante gentili* (*Tusc.* 1,38), originem suam a Servio Tullio vel a Tullo Hostilio regibus educebat. Quamquam avo regis Tulli Hostilii praenomen Hostus fuisse videtur[19], Hostiorum tamen scilicet iam fuit ita gerere, ut genti suae utilis nominis correctio iniceretur. Livius enim scribit iam *Hostius* (1 12, 2). Alioqui ratio scribendi

[17] Cf. etiam Apul. *Apol.* 10. Vid. Teuffel, *Gesch. d. r. Lit.*, ed. VI (1916), cap. 146, 1.

[18] Münzer, RE s. v. *Hostilius*. refert gentem Hostiliam antiquissimam quidem fuisse, ut e vocabulis *Curiae Hostiliae*, *Larum Hostiliorum*, *deae Hostilinae* intelligi possit, secundo tamen iam saeculo a. Chr. n. plebeias tantum familias, ut Catones, Tubulos, Mancinos, Sasernas, superfuisse. Cf. etiam L. Piotrowicz, *Dzieje rzymskie* p. 59.

[19] Macrob., *Sat.* 1, 6, 16, scribit *Hostum Hostilium* aut *Hosto...*", Plin., *N. h.* 16, 11: *Hostum Hostilium*. Saepissime tamen nomen solum Hostilii invenimus: Dion. Hal. 3, 1. Aur. Vict. *de vir. ill.* 2, 7. 4, 1. Plut. *Rom.* 14. 15. 18. Item Livius 1. 22, 1: *Tullum Hostilium nepotem Hostili*, sed 1, 12, 2: *Hostius*.

huius generis nomina, ut Hostus — Hostius, Tullus — Tullius, incerta fuisse videtur neque dici potest, utra forma rectior fuerit. Volscorum ducis nomen pluribus quidem testimoniis *Tullus Attius*, vetustioribus tamen *Attius Tullius* traditum est[20].

Restat, ut disseram, quo modo duplex nomen gentilicium explicari possit. Omitto duas causas, quae non incredibiles quidem esse videntur, nullis tamen testimoniis confirmari possunt; hoc modo enim nomen duplex explanari possit: 1. aut quod Hostilii vel Hostii praeter consuetudinem gerebant, dum modo id, quod sibi placeret, assequerentur, praesertim cum ista nomina tam similia et sono et fortasse origine essent, 2. aut quod eis, qui Hostii Hostilii appellabantur, *Hostii* nomen gentilicium, *Hostilii* autem cognomen fuit.

Transeo autem ad eas causas, quae et multo probabiliores sunt et testimoniis certis comprobari possunt. Demonstrari enim potest: 1. aut *Hostium* praenomen fuisse, 2. aut duplex nomen gentilicium non inusitatum fuisse.

Ad 1). Huius modi vocabula, ut Hostus (Hostius), Tullus (Tullius), Iulus (Iulius), Servius, sine dubio primum praenomina fuerunt. Mox tamen obsolescunt, magis autem magisque (Tullius et Servius serius, cetera autem multo ocius) nomina gentilicia fiunt. Sed Hostius ut nomen rarissimum fuit[21]. Ceterum nonnumquam et tempore posteriore haec vocabula ut praenomina adhibebantur[22]. Quo modo tamen antiqui haec praenomina intellexerint, facile cognosci potest ex eo, quo modo scriptores quidam praenomen Servii, quod in gente Sulpicia e consuetudine longissime usitatum erat, adhibeant. Tacitus enim Sulpicios non aliter nisi Servios vocat: *post Iulios Claudios Servios* (*Hist.* 2,48). Idem apud Plutarchum invenimus (*Galba* 3,1. *Rom.* 12). Cicero autem Servium Sulpicium Rufum saepissime Servium (Ser.) appellat[23]. Praenomen igitur, quod nomen saeculis IV—V p. Chr. natum demum factum est[24], quasi nomen gentilicium iam Ciceronis aetate ab antiquis usurpabatur. Hoc autem duabus de causis factum esse videtur:

[20] Cf. Münzer, RE s. v. *Tullius.*

[21] Vid. Münzer, RE s. v. *Hostius*, *Tullius*, *Servius.*

[22] Hostus ut praenomen in inscriptionibus invenitur, ut *Hostus Lucretius Tricipitinus.* Cf. Münzer, l. c. s. v. *Hostus.*

[23] Cf. Münzer, l. c. s. v. *Servius.*

[24] Cf. Münzer, l. c.

primum quod hoc praenomen in gente Sulpicia usitatissimum fuit. tum autem quod Servius ut praenomen iam dudum obsolevit.

Idem igitur accidere potuit Hostiliae quoque genti, cui, sicut Sulpiciis propter Servium Tullium videlicet praenomen Servii, Hosti Hostilii causa obsoletum iam praenomen Hosti usitatissimum fuit [25].

Ad 2). Quod ad illa tempora, quibus Hostilius minus vixisse videtur, attinet, permulta quidem nomina duplicia proferri possunt. Eius enim generis nomina gentilicia, quae celeberrima fuerant, ut Claudius, Iulius, Marius etc., temporibus iam illis praenomina videlicet facta sunt. Nec mirum igitur fuerit, si in tanta perturbatione praenominum, nominum, cognominum Hostii Hostilii quidam inventi quoque sint. Quoniam tamen Hostium poetam, qui in vetustioribus sine dubio numerari debet, res quoque attingit, proferenda sunt exempla ex eo tempore, quo nomina gentilicia diligentius a ceteris distinguebantur. Si igitur in dubitationem vocari possunt etiam talia exempla, ut Claudius Marius Victor aut Iulius Valerius, certissima tamen sunt haec: Caius Plinius Caecilius Secundus aut praecipue Asinius Cornelius Gallus, quem Asinius Pollio familiarem suum vocat (Cic. *Ad fam.* 10, 32) aut denique Iulius Antonius. Quod nomen enim Marci Antonii triumviri filio fuisse contra eos, quibus *Iulus* vel *Iullus* rectius videtur, affirmavit Th. Mommsen, *Römische Forschungen* vol. I p. 35 adn. 54. Quamquam aliquot annis post Bücheler [26] et Groebe [27] admonuerunt de inscriptionum testimoniis, quibus legimus: ANTONI IULLI PATRIS L. RUFIONIS (CIL VI 12010) et IULLO ANTONIO AFRICANO FABIO COS (*Bull. Arch.* com. XVI 1888, 228), scriptura tamen huius nominis in Horatii carmine (4, 2, 2) incerta est. Etsi enim meliores libri formam *Iule* vel *Iulle*, nonnulli tamen *Iuli* tradunt. In omnibus autem codicibus Porphyrionis ad hunc versum *Iulium* et ad v. 33 *Iulio* invenimus. Non aliter in plerisque libris Acronis ad v. 2: *Iulium* legimus. Non neglegendum esse puto hoc quoque, quod Horatius, ut antiquis scriptoribus mos erat, neminem, nisi quem finxit, praenomine

[25] Hosti Hostilli, qui — ut ait Plinius (*N. h.* 16, 11) — *Fidenam primus inrupisset*, scilicet memor Lucius Hostilius Mancinus praemium sibi postulavisse dicitur ea de causa, quod — ut eiusdem auctoris verbis utar — *primus Carthaginem inruperat* (*N. h.* 35, 23).

[26] Rh. Museum 44, 317 sqq.

[27] Pauly-Wiss. RE s. v. (*Iullus*) *Antonius* (I 2584).

compellat, qualis esse videtur Postumus in carm. 2. 14 et Thaliarchus in carm. 1.9.

